...ieski.

Bieżanowski Stanisl. Jos. Hecatombaea sceuti regali sacra—

HECATOMBÆA SCVTO REGALI SACRA,

Ad Augustissimam Coronationem,
Serenissimi, & Potentissimi
Principis, ac Domini,

IOANNIS III.

DEI GRATIA
POLONIARVM REGIS,
Magni DVCIS Lithuaniæ,
Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuon:
Smolensciæ, Kijouiæ, Volhyniæ, Podoliæ,
Podlachiæ, Czerniechouiæq; &c. &c.
Domini, Domini Clementissimi,

Ex immortalium gestorum, & Victoriarum eius incomparabili gloriâ,
Inter triumphales Orbis POLONI applausus, publicæ lætitiæ, & auspicatissimi ominis ergò,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leopol:
In Alma VNIVERSITATE Cracouiensi,
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pòëseos Professore,
Panegyrico applausu

DEDVCTA.

Anno Salutis 1676. Die 2, Mensis Februarij.

CRACOVIÆ,
Typis VNIVERSITATIS, Impensis Nouoduorscianis.

Argiuo CLYPEO dignus, dicitur ex parœmia, vt Zenobius Scribit, de eo; qui eximiâ ob generositatem veneratione sit dignus. *Cælius Rhodigin: Lection: Antiqu: Libro 21. Caput XIIII.*

Hecatombæa, apud Argos festa certamina, celebrari solita; in quibus Vincenti, æneum contribuebatur scutum. *Idem ibidem.*



Regalis clypeus, nullâ quod imagine sculptus
Cernitur, humanam respuit ille manum;
Praxiteles illi nullus, Phidiasq;, Mironq;,
Par illi Tuus est, nec Polyclete labor;
Dicere non potuit nisi cælica lingua IOANNEM;
Hîc solus sculpet, Regia facta DEVS.

HECATOMBÆA
SCVTO REGALI
S A C R A,
AVGVSTORVM ad ELECTIONEM
REGIAM OPERVM,
PANEGYRIM PRIMAM
C O M P L E X A.

MAiestatem imperij, quam auspicaris, Regum Inuictissime; & fulgur istud purpuræ Tuæ, quod fortunam perstringit, inuidiam absorbet; cùm in throno iam, paludamentoque Tuo Regali explicas; omnium præcordijs, amore publico propè inuisceratus, solis ingenijs formidandus appares. Excessus quippe magnitudinis Tuæ, oculis intuentium, fastigio suo iam olim ereptus; iuraq; tot latè populis, daturæ aliquandò potestati seruatus; ingentibus quantumuis meritis, supra ipsum etiam, publicæ felicitatis captum promineat; raptas nihilominùs gaudiorum excessu mentes, dum Te, augusti nominis pondus, ex æquo sustentaturum intelligunt, non terret, sed demulcet. At Verò pectora Phœbo Musisq; sacra, quibus Tecum prægnantes curæ Veniunt; vt orbi cum cura dicaris, scribarisue; colluctationem in Te, palæstramq; suam, & sudores illos, quibus exprimendis, immortalitas Tua torcular est, ita secum reputant; ita ob excessum gloriæ Tuæ exaggerant; vt dùm pro Te cordatissimo Principe, masculum aliquid, robustumq; cogitant; sanguinem ad cor omnem, defluxisse sibi, haud ex Vanò sentiunt. Nimirum inter tot aduersa, grassatosq; in Visceribus, aut incubantes ceruicibus nostris tot hostes; eò fastigij per Te euecti sumus;

vt pretium fuisse Videatur, tantis ab Oriente terroribus conflictari, ad obtinendam, quâ nunc fruimur, Victoriarum tuarum celebritatem. Et si tantorum successuum, cum tempore quoq; crescet magnitudo; Venient dies illi, in quibus posteri Vix fide capient ea, ad quæ nos, in armis, triumphisq; Tuis, attoniti hæsimus. Argumentum certè seculorum omnium illud es, securum gloriæ, & sẽper, ijs etiam, quæ cælo Vicinæ feruntur, mentibus eminentius; cui nihil Vnquam de ingenio, meditatisq; scribentium curis accessit; illo operum tuorum immenso ambitu; illâ Virtutis, non humanâ specie; quæ ad diuinas in terris vices euecta, quàm ex arcano Maiestatis recessu Venerit, iam conuicit. Non capiebant Te, summa ingenia Heroem, angustias suas confessa; cùm vndiq; supereminere; semperq; vastis etiam pectoribus, post graues operarum anhelitus, maius aliquid de Te superesset: quærendusq; Tibi, non tam orbis alter, cum Macedone fuerat; quàm aliud mentium clima, idiomaq;, non humana sapere, fariq; edoctum: cùm Tu, glacialis Moscuæ, non tam trepidum Volgam; quàm frigentes animos, Victor toties congelares: cùm vltra, citraq; Borysthenem, & in ostijs suis, perculsa à Te rebellio, metum simul, & desperatam animam, in Pontum ageret, exoneraretq;: cùm ex Lapponibus, Hunnis, extremisq; gentium eiectamentis, datas per Te vltioni Patriæ victimas, ipsa etiam Cimbrica Chersonesus horreret: cùm in Russiæ oris, infamem cruore, taboq; suo paludem, Scythica Mæothis per Te inueniens; nunc opprobrio palustri hærentes; nunc palantes, cæduasq; per syluam animas, frustra desideraret: cùm Bosphorana Propontis, momentò se in Tyram descendisse, & haustum à Te vno conflictu Orientem, tumens in Dacia Byzantij stupor, non caperet. Hæc Te Imperatoriâ adhuc potestate agentem, pro eloquio stupor, & silentium, secutum est; trepidauitq; ad nomen Tuum, non minùs sagum, quàm toga; veniente sæpiùs, ad manus eruditorum spongiâ, quàm calamo; quem magnitudo Tua excussit, nondum ex arcano fatorum, quò vergeret euoluta, ferensq; Maiestatem nonnisi sub inuolucro. Quanta nunc de Te cogitantibus, augusti horroris necessitas? quàm absorptæ, in summa luce minores faculæ! vt iam in Regno Sapientiæ, propè conclamatum sit; posse aliquid, de Sceptro, & Corona Tua, ab hu-

manis

manis mentibus concipi; cùm vel ſola Imperatoria claua Tua, in genia hominum, Diuina fecit. Antequam Auguſtus eſſes, iam ſignare incipiebas, illud ſeculum; quod anteactorum famam obruere meruerit. Iam Tibi Achilli, nullus par Mæonides; & cùm geſta Tua immortalia, ſemper procederent; nemine ea paribus veſtigijs aſſequente, eò tandem ventum eſt; vt cogitari, diciq; totus nequeas; vt de Te, & de natali Scuto tuo, in quo nihil expreſſum, tantò magis omnia claudit, immenſum quiddam cogitantibus reliqueris. Hîc demum inter ſacrum, quod aiunt, & ſaxum, orbis ingenia deprehenſa ſunt. Ad ſolennia enim Inaugurationis Tuæ Regiæ feſta, vel animum in vota, paginamq; ſoluere; vel de ingenio periclitari, vtrumq; ineuitabile, & tamen vtrumque ſubeundum. quando ingens gloria Tua, Orbiſq; debitæ Tibi gratiæ, manus propè inijciunt; & ſi quæ calamo vſpiam vis, non vrgent eam, ſed extorquent; dulci ſanè tormento, inquo, alibi quidē purpurata, diſcat ad purpuram Tuam, eloquentia confundi. Veniat & hæc ad triumphos Tuos, ex ingenijs palma; eaſq; in ſeculorum immenſos tractus, non hoſtium tantùm, ſed animorum quoq; triumphator; pendentibus ad trophæa Tua, doctarum animarum circumquaq; ſpolijs; quarum excelſos ſpiritus, immortaleſq; genios excedens, in manubijs computas: vt qui Rhodopen Thraciam, cum Marte ſuo concuſſiſti; legaris quoq; a poſteris, Delphos etiam, & Cecropias Mineruæ arces terruiſſe. Quod ſi Te ò Rex, fulgur Tuum, ita nobis penitùs eripit: vt ſcribi, diciq; inconceſſus, omnem ingenij aciem effugias; ſub nube ſaltem, Natalis Scuti Tui, videri Te permitte: quando & ſol, ſub nube, aut in Iride ſua, cerni non renuit; & numina olim, oculis hominum inconceſſa, ex flamine, puluinaribus, cortinaq; ſua, intelligi ſe, veſtigariq; permiſerunt. Sic ego Te Princeps, longiſſimè ſupra omnes laudes ſitum, nec vſquequaq; reuelatum, in adytis tuis, ſub imagine conueniam; & ne, quod cautum eſſe voluit ſapiens antiquitas, diſſimiles ſui, magnæ Tuæ virtutes, ad poſteros tranſeant; veras earum effigies, ſignanter ex Te in Scutum Tuum transfuſas, maximo, Teipſo nimirùm ſignaculo, & authographo conſignabo. Ita Maieſtas quidem Tua illibata Tibi conſtabit, dum, quâ parte, in Panegyri noſtra, non prominebis; auguſtior ſub velamine Scuti Tui, Tibiq;

ſoli notior reconderis: ſub vmbra verò de Te ſcribenti, facilior, & Maieſtatis à longè reuerentia, & veniæ locus.

Regnorũ in Orbe, populorumque ſalus, ab arcano quidem Numine venit; tribuſque ijs digitis appenſa, qui vniuerſi compagem ſuſtinent, lege immutabili fertur; omnibus tamen ſeculis, ingentium animarum robora illa, Statoreſq; imperij æternâ ſerie lecti, diſpoſitiq; ſunt; à quibus aduerſorum immane pondus, fœtaq; malis publicis Nemeſis, ſiquando regnis incubaret, ita exciperetur; vt conſtaret, ab eadem manu, aduerſa immitti; & qui ijs ferendis magnam mentem obijciant, deſtinari. Prægnans omne infortunium, Heroas parit: decennioq; toto dùm laboratur, vt Ilium caderet; ingens ille arboreæ molis vterus, ferream priùs concipere, parturireq; ſobolem debuit. Magnis nimirùm malis, ſumma animorum decora aſſurgunt; nunquam ſe ita inclementia fatorum exerente; vt non emergant Coclites, dùm ſpes naufraga dehiſcit; ardeatq; potiùs Mutiorum dextera, quàm læua Patriæ fortuna, rogum inflammet. Illæ ipſæ vices gentiùm, illa rerum naturæ colliſio, illa fragmenta propè, & abruptæ imperiorum moles; quibus conteri millies, ac velut ad molare ſaxum, æternùm diſſolui regna oportuit; iuêre ſæpius ad ima ſtatuendæ potentiæ fundamina; & dùm infelices machinæ putabantur, noua fulcra fuêre. Quaſſari Græciam Perſicis armis, Romam Lybicis, ad firmandæ, radicandæq; potentiæ, altiorem baſim pertinuit: terrorem alias non laturis, ad Atlanticum Oceanum, Herculiſq; columnas, Macedûm, & Latij ſignis; niſi domi priùs aliena exhorruiſſent. Actum id, & cum Viris, qui ad auguſtam mentem aliquando, aut Maieſtatem aſſurrecturi, ijs potiſſimum temporibus, diuinitùs ſeruati ſunt: quibus ingentium malorum fragor, minores animos perculit, ſummos erexit; quibus volutata contrarijs motibus, euulſaq; imperia; dùm cardinibus ſuis propè excidunt, Atlantes inuenêre. Inter cruenta, funeſtaq; mortalitatis excidia, immortalium exemplorum prouentu maximo. Nouerca publicæ felicitatis Peloponeſus, fecunda tot luſtris, fortium virorum Mater, bellorum conflictu durauit pectora, exempla genuit. Inter anguſtias Thermopilarum, trecentæ illæ Laconum, auguſtæ animæ, obſtetrice malâ fortunâ, ad immenſum gloriæ decus natæ ſunt. Fauces Cilicum, Hyrcanæ rupes, &

Bactra

Bactra, ineluctabili illo, & vix humano nisu, victores orbis enixa sunt. quin & domita aceto saxa, Punicum fulmen procudêre; quod nisi Saturniam totam concussisset, Cunctatori Maximo, Scipioniq; suo labentis imperij pondus non inhæsisset. Diu & nos Sarmatæ hùc impellebamur, vt vetusti dominij fragmenta, artusq; laceri, & infelices reliquiæ spectaremur. Versæ huc primùm seruiles manus, probra fugitiua, monstraque Cyclopum, mouerunt in nos sedibus suis, barbara, sæuaq; omnia. admotum vltimis excidijs nostris ferrum omne; & si quid, in circuitu mortis officina habuit; nihil intactum, nihil intentatum est; vt se mucro lethalis ipsis fibris, vitalibusq; Patriæ profundiùs inferret; scrutareturque extremos agoniæ nostræ anhelitus. Bellorum, & hostium nomina, coniuratiq; sceleris idioma, iam propè ignorauimus; donec post laborata ab omni circumquaq; Vulcano, parataq; in nos sub omni incude tela; Byzantium quoq; armaret in nos, quidquid apud Æthiopas, & ostia Nili, alieno sole adustum; quidquid Sabæos, Numidas, & Monomotapas olet. Has inter fatiscentis Patriæ, spes iam conclamatas, eoq; sæpius deductas; vt Manibus Polonis, inter rudera, fauillasq; proiectis, aliorum non tam miseratione, quàm risu potius Sardonio, sepulchralia scriberentur; Sarmatarum virtus tantò admirabilior, malorum stupenda, & seipsam vincens, cladibus non amisit, sed genuit Viros. In ipso tot vndiq; missilium fragore, non icta, quamuis interdùm perculsa, fulmina iecit; nec vnum Brontem, Steropemq; ipsis, quæ fecerant telis confixit. in ipso rerum penè omnium defectu; in ipsa ferrei seculi scoria, ex Heroum dentata semente, Dentatos Sarmatiæ, veram Martis sobolem dedit. Attonita certè omnis ætas, cùm æuum hoc nostrum respiciet, nunquam se intricatis cogitationibus euoluet, suspensa, & adhuc contremiscens, secumq; reputans; quomodo non vna malorum voragine hausti, rursusque eiecti, in abruptis, hiantibusq; Regni Lacinijs stetimus: vnde nobis, in tanta mortalium strage, non Heroes tantùm, sed Martes ipsi, & fulmina belli? quibus clypeis, munimentisue tecti, tot simul catapultis impenetrabiles fieri potuimus! & tamen stupor ipse, qui hæc non capiet, illud fatebitur; detectam malis omnibus Patriam nostram, nunquam Heroicis pectoribus densiùs circumseptam fuisse; quando vel in te solo,

ô REX! munimentorum omnium compendia tulit. Vnicum hoc Scutũ Tuum, quod iam in cor Aquilæ Polonæ transijt, tot ante seculorum labor, tot deinceps miraculum, bellorum omnium furori, ab ipsis primordijs obiectum, propugnandæ Saluti publicæ ita suffecit; vt ad Victorias etiam, & Coronas profecerit. Crediderim ego, cùm Nemesis illa, vindicis nimirum iustitiæ manus, quæ regnum hoc, diù prouocatæ indignationis brachio aggressa est; armaret in nos, quidquid hucusque patimur: alterâ clementiæ manu, diuinum in Te opus aggressam, Scutum illud formâsse, quod non exæquaret tantùm mala nostra; sed his omnibus, ad vsq; Thronum Regium superemineret. ita augustum hoc tegmen suum, tempestiuè Patria subijt, statim operta à Te, velataque; ex quo etiam, impudens primùm rebellio discooperire; & eâ parte nudare cœpit, quâ barbaris maximè patet. Nihil deinceps hostile, nihil cœdibus nostris inhians, & ex omni parte armatum; quod à Scuto Tuo exceptũ, eò se venisse, vbi mures ferrum rodunt, non sentiret: ipsis etiam, qui secessione militari domi hostilia meditati, dùm Patriæ propugnacula putantur, hiatus, & vulnera fuêre; ad hunc Bellonæ scopulum, aut disiectis, aut ne excidio reuelarent locum coercitis. Quanquam enim reuelare Patriam, detegereq;, vt nudum eius latus vulneri pateat, palam omnibus parricidale; clam tamen multis, si prætextus non desit, extenuatione sceleris leue, in filum araneæ transit. Rete hoc tenuissimum, ab ijs etiam, qui Patriæ robora videntur, sœpiùs illi texitur; dùm arma sic disponunt, consilia nent; vt eâ potissimùm parte, quâ illi tutissima spondent, Patria clypeum, quod aiunt, post vulnera sumat. Diù quidem Orbis militia, absque clypeorum munimento fuerat; primique Pretus, & Acrisius, inter se bellantes, antemurale hoc corporum subijsse feruntur. Vtinam verò circumuallatio hæc vitæ, eruptiones mortis non haberet! vtinam reuelatis potiùs, quàm bracteatâ securitate tectis, interire liceret! multa obtentui non haberentur; quæ nunquam magis detegunt, quàm cum loricas, & vineas, quæ Papilio rumpat, defensioni Patriæ, dolabrâ mentium circumdare videntur. Animorum huiusmodi retinas; an sypparia, dixerit nonnemo, diuinum Phidiæ, in parma Mineruæ, Athenis opus: in quorum externis sol eis, vùltusque conuexo, triginta Deorum genesim, si videas; O-

lympi

lympi thalamum credas; cùm in eorum concauo, Deorum, & Gigantum; Centaurorum, & Lapitharum; Amazonumq; prælia, cælum & terras misceant; Sphyngemq; sub cuspide mentis, ad ænigmata ferant. Quid prodest talium scutis, quamuis vt Mariorum, decumanis protegi? si rimas aperiunt, vt vulnera inuitent; si tantum ex ijs munimenti, quantùm vmbræ ex Timantis velo capias. Procùl hæc arcebat semper, Augustum Scutum Tuum, o Rex! decumanum illud quidem; sed innocens, & illibatum, absque cælatura, & imagine omni; prout & animus Tuus, absque tesse ato, & in segmenta diuiso opere, rectitudine sui venerabilis, & amplus. Reiecisti ab hoc tegmento, vt se illi Patria fidentiùs crederet, quidquid in characteribus, & signis, dubios interpretes poscit. Nullum in eo idioma cryptographicè loquitur; nullum ænigma implorat Oedipos; nulla Agamemnonis formido, iubas leonum simulat; sed vacuum omni artificio, quantò minùs prophanis laborantium manibus debet, tantò magis sacrum, & diuinum est. Nulla illud Sidonijs artibus infecit purpura; nec erubuit vnquam, quod pro defensione Patriæ fecit. Nullos Argyroaspidas Persicos, quos Alexander Macedo; nullos Chrysoaspidas, quos Alexander Seuerus dixit, pretio sui illexit; & tamen saluti publicæ pretiosum, inter carissima Patriæ cimmelia seruatum, pro Corde, & Capite Augusto, & pro Corona Regni defensa, coronari meretur. Tu quidem o Rex! Sarmatarum more Veteri, vmbracula hæc defensioni Tuæ non parasti; emasculatæ mentis, cum Scipione Africano, id reputans; in sinistra potiùs, quâ scutum gerimus; quàm in dextera, quæ gladio decernit, spem bellandi ponere. Sed reuelare Patriam, & quà ferrum, in eius Viscera ibat, præcordiorum Tuorum obiectu, tutamini eius non adesse; atrox, & bellicosæ indoli Tuæ intolerabile censuisti. Quod quàm augustè vbique egeris, quàm totus in armis, totus in periculis, proieceris a Te tutamen omne; vt illud Patriæ obijceres; quàm Sparthanum illud, aut cum hoc, aut in hoc, impleueris semper; liceat mihi, vel ex vnica augustissimi paludamenti Tui fimbria conijcere, ac metiri.

Occurrit hic primùm, indoles illa Tua, magnitudini rerum, quibus gerendis destinabaris, diuinitùs facta, vigore, spirituque tanto; vt ceu iam tùm exercitus, fascesque maximos animare, parata,

ingens aliquid ſibi depoſceret, in quo magnos ad gloriam anhelitus explicaret. Toroſum animi pectus, ad geſtorum latifundia, non ſortitus es, ex magno ſanguine, ſed accepiſti; vt patrimonium, in quo anteacta ſecula ferres, & conſummares, ſago, togâque incomparabilis, & in vtroque Dictator. Hinc ego, mentem illam Tuam, & genium immortalem, cùm circumſpicio; quo Tu ſimul, & totus Mars, & Conſus ipſe; totus Senaculum, & fulmen ipſum haberis; non miror ceſſiſſe fatis, dùm ad ſummam gloriam prodires, quidquid in Domo Tua eminentiſſimum fuerat; vt, cùm omnia in Te tranſijſſent, vnicus orbi ſufficeres; qui Domum Tuam in Regno Principem, faceres Auguſtam. Poſt primam illam in Senatu curulem, quam Magnus Parens Tuus inſederat, non aliud Tibi reſtabat, præterquam Solium; in quo ſanguis Tuus in Purpuram deſijt; habiturus apud æuum omne ſatis, ad Coronam; quod Te Regem genuerit. Sed itum hùc, gradibus omninò ad purpuram formatis, totoque ſanguine fuſo; quem non Cecorenſes, aut Batouiani tantùm campi; ſed vbicunque Sarmata, vitæ, & ſanguinis prodigus, vel ex hoſtibus Marti Victimam, vel ex ſeipſo dedit, præliorum vortices hauſêre: eâ fide, eâ animorum pro bono publico deuotione; quâ Heroicam ſemper, nuper etiam, auguſtam Te victimam deuouiſti. Id verò, ex celſiſſimæ indolis Tuæ, prima illa, magnæ gloriæ pronuba flamma correptum, immenſi ardoris fomitẽ in Te perennem ita fecit; vt reſtingui aliter, niſi inextincta priſci Sarmatarum decoris ſiti, non poſſit. Quod vt Teipſo maximo teſtè agam; permitte me, per Maieſtatis Tuæ clementiam, in arcana animi Tui ire; & apparatum illum reuelare; quo Tu, maximarũ dotum contextu, & ſerie illâ, iam tum Regiæ mentis capax incedebas: cùm ad æqualitatis iura, Ciuis adhuc Patriæ præparabaris. Rebus enim bellicis natus, ex propagine illa, quæ non vnam virorum fortium Hecatomben, Argiuo Clypeo dignam, Sarmatiæ protulit: mirum eſt, quomodo genium illum Gradiuo plenum, qui alijs ferox, & immitis eſt, admirabili temperamento tractabilem feceris; ſupercilium omne, quod atras nubes ſuſpendit, & ſæua rigoris miſſilia iaculatur, procùl effugiens; atque ad illud amoris publici inuitamentum, à prima ætate compoſitus, quod Principes decet. Mauortius alijs ſpiritus creditur, qui ſæuus, & implacabilis eſt.

Minaci

Minaci vultu, aſpectuque homines, vt velut à Gorgonæo capite in ſaxa obrigeſcant, percellere; denſam ceu erinaceorum ſyluam, animo circumferre; vt quâcunque ex parte contrectaueris, ſaucius abeas; non eſt Heroem agere, ſed ferocire. Ridiculum eſt, terrorem conſultò fingere; & fortitudinem putare, quod furor eſt. Aliud eſt ſpirare Martem, aliud extorquere; multùmque diſtat ab Hercule Thraſo: & tamen toruus ille, ac diſtortus animi vultus, ac continuum veluti tonitru, ita pleriſque diligitur; vt ne humanitati quidquam è vicinò debeant, etiam longè à literis diſtant. Hoc tandem eſt, manſueſcere nolle, & vndique exaſperari; neglectoque animi cultu, tota vi in impetu eſſe; quod nos à barbaris non diſtinguit. Illud homine, & Heroe dignum, quod Tu auguſtè egiſti; dare cultum animo, & particulam Diuinitatis obſoleſieri non ſinere: tantùm ex literis, & ſapientiæ ſtudio ſumere; quantùm ad Achillæam virtutem, vt ex officina rationis prodeat; vt intelligat, & agat fortia, ſatis ſit. Huc aduertiſti animum, ſuaptè ad excelſas cogitationes paratum; nec tam pati culturam, quàm prouocare volentem: ingeniumque illud, in rebus vſui publico accomodatis, maximo guſtu detentum; nihil in tranſcurſu, meditata omnia, & ſeriò magna cupiens; iam tum in fatis Poloniæ Regno decretus, in Regio illo IAGELONVM Archilyceo formaſti; quod à Magno Parente Tuo defenſum, Sceptra literata retinuit; vt Te Regalibus Sceptris adaptaret. Seruati ſumus in Comitijs Electionis, Martis Poloni VLADISLAI IV. Scutoque Tuo protecti; eâ Celſiſſimi Patris Tui Maieſtate, cùm liberis vocibus præſideret; quam Te ſpirare oportuit; cùm in eodem Campo, quartus à VLADISLAO Auguſtus eligereris. Felicitas hæc omniũ, habet aliquid præter nos, alijs inconceſſum; quod Regum filiæ, pares imperio animos, in ſapientiæ Regno formare liceat: quod liberale iſtud docendi inſtitutum, quale ſequimur; in quo ne coacta ingenia malè reſpondeant, libero bonarum mentium vinculo tenentur, Regum maximis ſapiat: nec fruſtra ſcientiarum habeat fontem, quem non florum coronamenta, ſed Reges coronant. Ex hac Diuorum etiam ſapientia, quos cælo genuit, venerabile illud animi Tui ſecretum, auguſtè ſapere doctum, communicauit ſe maximis Europæ populis; domique olim imperaturum, foris conſilia non

quæsiuit; sed iudicia tulit,& quid vbiq; optimū, discreuit. Ibas cū tissimarū nationū, tùm quidē deliciū, prædicatio postea, & miraculū Ciuis Patriæ, & Senatûs Principis filij, indolem ferebas; sed Te iam loca illa, ceu Maiestatis futuræ conscia, designabant Ciue maiorē, & supra Senatoriā purpurā iturum. Summi Reges,& Principes, excêpere in Te, gratijs omnibus dignam, magni sanguinis propaginem; complexi nobilitatis Polonæ Principem, Fratrem aliquando, & æquali solio venerabilem habituri. Ipsa cæli in terris Vicaria, Vaticana potestas, cùm se Tibi impertiuit hospiti; benedixit Augusto. Capitolinum illud orbis solium, cùm intuereris; cùm Vetusta trophæa, Arcus triumphales, ingentiumque operum formidandas adhuc reliquias circumspiceres; iam tùm genius loci, & Quirinæ conditor Vrbis, ac triumphalium olim Virorum Manes, locum Tibi ex arcano destinabant; in quo Orientis aliquando Victor, & Stator imperij nostri, non ebore, ære, aut auro cælatus, fususue; sed immortali gloriâ subnixus, æternùm stares. Iam tùm Aquilæ Romanæ, Byzantinum illud Vexillum, quo nunc apud Orbis Dominam, Triumphale nomen Tuum expandis, læto applausu excipere Visæ sunt: ipsique festi ignes, quibus nunc triumphi Tui, Romæ collucebant; iam tum fomitem suum, erupturasque olim scintillas habuêre.

Sed iam alijs ignibus ardebat Polonia; totoque Vulcano correpta, non in vnius decennij Ilium transibat. Concesserant in ea festi ignes,in nefastos; aræ in focos, campi in Æthnas, & Vesuuios; incendiario domi nato, stupâ leui, & rusticâ, sed flabello irarum, & sulphure immenso. Alimentum flammæ, seruilis ille quidem animus; sed diu irritatus, sponte Africam spirans; inquies, malè Regno cohærens, nec rectè obsequi, nec dare imperia natus. Non ereptâ Herculi clauâ, sed concussâ gladiatori Machæra; non sublata Menelao Tyndaris, sed Mycenæ importunius lustratæ; non oppressus in herba, sed incautè habitus ferox, exasperari impatiens, è vicinò Tauricam olens; nec tàm vindiciarum, quàm rerum in turbido ardens spiritus, miscuit omnia. & sceleris coalitione, ceu bitumine, vt accenderet, coniunxit. Tædæ illæ infelices, ad vltima terrarum, nouitate sui prospectabant; impleueratque orbem horror, & indignatio, metusque contagionis; qui haud ex vanò fuit, postquam alibi etiam similia erupêre. Dati in victimam, ex Potocio sanguine Decij: Duces cladibus suis, eò infeliciores, quod supersti-

ces, prima captiuorum capita facti: robora legionum, tot prælio-rum, & victoriarum conſcia, intra carraginem ſuam, diu fatis obluctata; tandem cædibus, & vinculis Geticis abſorpta; Nobilitatis flos, primâ ingluuie, & rabie hauſtus: ſtupor omnes, etiam ipſos, qui hæc viribus ſuis; & non tàm meditato, quàm inuento ſcelere maiora fecerant, prope in obliuionem ſui vertit. Inter hæc Patria, auguſto capite orba; ad ſubita, & illico ad ſummum ſcelus, & formidandum potentiæ robur deducta, non tam inops conſilij, quàm attonita; nunc palpitans, & tremens; nunc ſumptis animis, eoſdem iterum, & conſilia abijciens; quærere Duces, & oblatos ſpernere; agentes fortia laudare, & iiſdem diffidere; nunc vni, nunc pluribus rem committendam, & mox repetendam ſtatuere; ſeruiles animas, & fæcem populi, ignobilem bello, & victoriæ materiam contemnere; & mox veteres militiæ, admiſſi ſceleris deſperatâ Veniâ, Gelonum coalitione, & nouiſſimo libertatis guſtu, ac ex pertinaci Schiſmate, valido fidei obtentu efferatos, & implacabiles; ac proinde Vinci haud faciles, & odiſſe, & timere: lectiſſimi exercitûs, ſed magis ſplendidi, quàm pugnacis obiectu, ad caſtra vnde venerant, redituros credere; & tamen vndique tetrum aliquid, & ſerò reſtinguendum, quale hucvſque ardet ominari. donec malorum fluctu, æquè bellaces, ac imbelles animas inuoluente, ceſſêre omnia fatis. Prouinciarum maximâ relictâ, itum in viſcera Regni. ipſo etiam electionis campo, vbi res auguſti capitis agebatur, ex vicino cadentium fragore, armis, & claſſicis circumſonante.

Hæc interim nobiſcum. cùm Tu ſub alieno quidem Sole, ſed animo in ſinu, viſceribus, in corde Patriæ totus, ſingulos eius pulſus, & ictus ſentiebas; colliqueſcebas, & rapiebaris ardore illo; qui Te poſtea, feruentiſſimo Marti intulit. Dolebat tibi Hectori Patriæ futuro, Pergama Tua, Græcâ fide, & rebellione, impunè peti: non Achillem, Aiacemue, aut Diomedem fortiſſimis; ſed mancipia, & infame cum Sparthaco vulgus inſtare; diripi omnia, & in prædam, ſeruilis contumaciæ cedere; Polonos tot gentium bellis inuictos, maximis imperijs formidandos, Mauortium exaſſe genus, domitis circumquaque, aut receptis in fidem populis, latè imperans; & vltimum illud, ad quod Romanæ olim potentiæ mu-

cro, ſæpe diſſilijt, momento quaſi procumbere; eòque plebeiâ manu; Viliquе procellâ deijci, quò tantam impelli molem, maximo ſeculorum, & imperiorum niſu, ſi oportuiſſet; adhuc tamen, ingentia quantumuis arma, coniurătæque Regnorum furiæ, ad portentoſum omninò, ſeculareque opus trepidaſſent. Excidêre tùm, magno pectoris tui anhelitu expreſſæ, breues illæ; ſed pondere mox non ferendo, iam diluuia ſanguinis, catharactis ſuis incubantia, deſignantes lachrymæ; promicabatque iam tùm, diſſimulari neſcius, totus in vultu, totus in oculis, totus in animo tuo Mauors; obſtacula terræ, mariſque,& quidquid magnam animam morabatur, perrumpere feſtinans. omnis illa elegantia, ac decor orbis, quo cultiſſima Europæ portio, maximè nitet, moleſto lenocinio, quidquid Tibi viſendum obiecerat, ad faſtidia dedit; cùm delectabile quoduis, ardore, ſitique bellandi abſorptum, vnum ex omnibus in vindicijs Patriæ, & inter parricidales cadentium mancipiorum victimas eſſet. Ita Patriā cogitās, Patriā ardens, ceu iā confertiſſimis immiſtus, ceu totus in ſparthaco hærens, non itineribus ad eam redibas; ſed raptu quodam, validoque rerum gerendarum ſpiritu ferebaris; ad occaſionem primam attentus, vetus militiæ fieri, caſtriſq; innutriri anhelans, æſtuq; magnanimo conflagraſſe planè viſus; niſi Te, non tam aris Patriæ, & focis, quàm curis caſtrenſibus intuliſſes. Non ego hæc ideò ago, vt pro Te dicendo magnificentiùs, quàm Tu Martem Tuum cæperis aſſurgam. fidem publicam, non captiuo, nec in theatra, ſcenamque duco. eant in ſe, quantum libet profundo ſui ſcrutinio, deſcendantque retrò, in rerum anteactarum ſeriem, ſi quæ adhuc ſuperſunt bellatrices animæ, Tecum ſacris Gradiui initiatæ: loquantur orbi, ſi quid par Virtuti tuæ poſſunt, teſtenturque, quis ille, & quàm acer ſpiritus in Te fuerit? quàm valido impulſu, honeſtique ardore concitus, quàm in diſcrimina feruens; rudimenta militiæ prægreſſus, iamque veteranus non vſu, ſed voto; qui Te caſtris primùm cum germano ſanguine intulit; qui rabiem Coſacicam, tetramque illam a Mæotide nubem, vi non ſuſtinendâ, cùm ſæpius diſieciſſet; à primo illo magnæ gloriæ guſtu, pericula, vulnera, mortem, non adamauit deinceps, ſed deperijt. Siren illa, ſemel in claſſico audita, totas pugnaciſſimæ animæ tuæ aures poſſedit, totas abſtraxit, & tenuit. fruſtra hic Laertiades, ceratos obices,

ſeraſque

ferasque erupturo per mille chalybes animo cogitasset; vbi semel Martem audiuisse, æternùm non abstrahi fuerat; rauco illo, streperoque sonitu tám dilecto; quàm cæteros Amphiones, Stesichorique Lusciniæ mulcent. quando subirasci etiam Tibi videbaris, quod infra Annibalis, Kriuoustique nouennium, seriùs hæc Tibi intonuêre, quæ orbem attonitum reddunt. Mirus in Te castrorum amor, Diui penates sub tentorijs toti, laquearia sub dio tutissima; cælo protegi, & rerum omniùm inclementiâ exerceri; duro cespite, aut rigenti, noctem vel fallere, vel truncare; domare somnum, prouocare vigilias, inediâ, sitique famis obsonia condire sapidissimum; atque ita deinceps in naturam translatum; ceu Te nascentem, non ædes Palatinæ; sed aspera Martis, inter Scuta, & gladios excepissent. Grande patrimonium, auiti sanguinis virtute partum, beatas opes, non ex censu, sed ex eò putasti; quòd impendio publico datæ, ditem Patriæ amorem testari possent; erogatæ illico in eos, quorum prodigus in vulnera, & mortem spiritus; vt pretium omne excedit, ita liberalitate nullâ compensatur. Detractum mensis, pateris, myrrhynis, scutulatis, & gementibus sub pondere sestertiorum vestibus; immodica omnia, citra sumptuariam legem cohibita. dati limites, profusis splendoribus, & intra cancellos suos coercita, aulæ intemperies; apparatu omnium ad militiæ decora, neruumque belli translato; cùm instructissimis cohortibus præesse; pectoraque illa, quæ sæuum vndique Martem excipiunt, armare ferro, animare donis, Cræsorum gazis omnibus anteferres. Hauserat tùm rebellis Borysthenes, aureum omne seculum. felicitas Polona, copia, magnificentia, splendor, ad sarmenta eorum, mapaliaq; transierat; qui ante vt leues paleæ habiti, mox ad ingentium ruinarum pondera suffecerant. aurum omne, veteresque gazæ, & longâ felicitate distentæ opes, sub villosis, Myrmillonum, defluentibusque lacernis, probro habitæ, splendidissimæ gentis genio insultabant. Hùc ergò admoti per Te, conuersique sumptus illi felices; quibus ad subsidiũ Patriæ, lecta per Te, ex fortissimis non exigua militiæ manus; quidquid vspiam Cosacico, Scythicoque Marte efferbuit, persequi adorta; catenam bellorum omnem, victorijs, & triumphis secuta est. Iouem Polonum, Gigantes illi, quacunque ex parte aggressi sunt; Enceladus ille, ossam, & Pelion, Islangiereos, & Thohaibeios, prima

Scytharum capita, sceleri suo iungens; quoties Tauricam in nos omnem, eiaculari voluit; aderas vbique Poloni fulminis pars maxima; instabas terræ filijs tonitru, non ferendum, contra quos pericula deposcere, prima in acie versari, audacissimis occurrere; atq; in voraginem illam, quæ nobilissimos Sarmatarum, immani rictu hauserat, præcipitari visus; inter maximæ fortitudinis exempla, ad Coronam vsque regiam seruabaris; cùm nulla ex militaribus esset, quam non merueris. Quidquid nimirùm in armis Zaporouianis horridum, implacabile, scelestum, & omni externo Marte truculentiùs, doloso toties cinere recruduit: quidquid in scenam illam deductùm, locis, prælijs, cladibus, internecionibus, captum omnem, & memoriam vicit: mucro, & cruor omnis; cæca obstinatio, & lynce quouis oculatior perfidia, motaque Erebo Tysiphone, & furia omnis, quocunque cùm hac rabie incubuit; cùm acerrimæ vbique hostilitatis conflictu à Te exceptum; taboque suo, & sanie pluens, immanè quantùm Tibi ad gloriam profecit; in quantū Te Bellatorem durauit; castris, & campis omnibus pro Te agentibus, Tuoque nomine, præter infelices Batouianos insignitis. Arcanum hic ego vestrum, quidni adorem, boni Superi! quidni ad illud, simul & contremiscam animo, & exsiliam! Cannæ Poloni sanguinis, & Punicæ fugitiuorum, hic si vspiam artes. veterator ille, sub aliena larua; bellua illa, sub aliena pelle; cicur, & tamen frena mordens; balatuque rugiens; cùm scelestus pater, prolem impiam redarguit, immanitati suæ conniuet. peior Phaëtonte suo scelerum quadriga. ex Sacramento pacti nuperrimi, ceu testudine factâ, aggreditur fortissimos Lechiæ; balista non ignota, sed latens. animum mille foueis hiantem, cauernosumque, fide publicâ tegit; vt eam confidentiùs soluat. Ita pacem euaginans, gladium sicarius stringens, dùm quasi in transitu extrema radit. cor ipsum Patriæ petijt. Cecidit tùm pro dolor! quod sanguis ad posteros, non sepia notet, cecidit inquam, cum Hectore suo, flos ille Patritij Sanguinis, non victus, sed obrutus. concessêre inundationi barbaræ, tot Deciorum capita, tot militiæ fulcra; non mota virtute, sed circumfusa immani, coopertaque fluctu. & adhùc tamen inuicta, admiratione que virtutis, ipsis etiam Gelonis formidanda; ac eripi serui macheræ digna; nisi macellum illud, lanienamque seruati etiam ab extremâ

barbarie,

barbarie, Heroici ſanguinis gladiator ille, & laniſta popoſciſſet. Vidit ſub id tempus Scythia, quod apud ſe, tanto ferociæ profectu, necdum viderat; damnariq; inhumanitatis dedignata, innocentiam ſuam, comparatione tanti ſceleris abſoluit; cùm inhumanum facinus diſcere coacta, execrata eſt & exemplum, & magiſterium; cùm lixa, & helluo ille, nobiliſſimis inter captiuos, truci edicto conquiſitis, datoq; pretio redemptis; coràm ſingulos trucidari; immò & in arenaria illa carnifex præire, volutariq; in ſanguine illo, ac pergræcari volupè habuit; ſorbente ipſâ etiam tellure, innocentium cruorem quantocyus; ne ſacra illa purpura, inſultantium ludibrijs ampliùs; tantiq; in Chriſtianitate propudij veſtigio ſupereſſet. Plaga hæc inſanabilis, propè ad deliquium Patriæ, damno quidem iam toties accepto, ſed dolore immenſo; qui ex circumuentione tot illuſtrium animarum, modoq; excidij auctus; cor quidem Patriæ transfixit, ſed mentem non eripuit; quando clade afflicta, clypeum non proiecit. State adhuc modicùm præcipitia Regnorum, extremiq; occaſus! at vos boni Superi fauete, adeſteq;! ſi quid conijcere licet, veſtrum hoc ſecretum, & Scutum eſt. Ijſdem in campis, in quibus cecidimus; protecti arcano veſtro, & ſeruati, Phænicem ex cinere naſci; nec in medijs cladibus, omnem fortunæ tabulam eripi didicimus. Cecidiſti quidem Auguſte ſanguis, bellatorum gloria, flos, & gemma Heroum, Thebarum tuarum magne Epaminonda; ſed dum alto terrarum gemitu caderes, tecumque corruentem Patriam, ipſe etiam gemitus defeciſſet; cælum alibi pro Te ſolicitum, quia ſic morientem, in auguſto fratre ſeruauit. Sarmatia quid trepidas? quid procumbis? quid extremo ſpiritu, an clypeus tuus ſaluus ſit requiris? leua oculos,& fata tua ſequere; & clypeus,& Epaminondas Tuus ſaluus eſt. Non vnam ille, vindicem fraterni ſanguinis, Leuctram,& Mantineam, non Spartanis, ſed Spartacis dabit. Victimam hanc cælo impenſam, rependet illi veſpillonum illa colluuies; quæ quamuis Byzantij, & Moſcuæ limina ſolicitet, capulis ſuis, & feretris non ſufficiet. Rependet illi Myrmidonum, Dolopumq; Scythiæ, infamis pyra illa, in Bednarouijs ſyluis, olim æternùm arſura. Datæ huiuſmodi vindiciæ, expiatus innocuus ſanguis, reconciliati campi nefaſti, longâ tuâ Nemeſi ô Rex! vltoreq; gladio; à quo inferias ſuas computent, qui hucuſq; ab illa ſeruilis belli Megæra ardent.

Sed iam aliò te vocat Patria, in ipſo inteſtini mali furore, grandi exotico bello inuoluta; cùm in eam cubilibus ſuis motus Septemtrio, gentes infudit; quibus aut barbaro Marte diſtenta, aut implicita domi Polonia, ius omne claſſici, & præliminaris cortina. Anſæ belli, ferocior domi egeſtas, quàm alibi hoſtis. Scopuli, & anguſtiæ natales; bonæ indolis gentium latifundia, & opes; & quod vicinum pecus, grandius vber habeat. Vetus exinde Orexis, meliores alibi bolos appetens. armorum ſocietas, & pactum; ſpecioſus ad proferenda Regni pomæria prætextus; quæſitus à nobis ad Coronam Regius ſanguis; ſed multò ſanguine, & maritimæ prouinciæ iacturâ redemptus. A Charybdi illa, caput auguſtum ægrè ſeruatum, quæ patrimonium Regale vt abſorberet, titulum reliquit; qui diù ad claſſicum, & teſſeram belli ſuffecit, paliuruſqué gentium fuit. Arſimus hoc bello ſæpiùs, euentu vario; cùm ſe littoribus noſtris vis, & flamma illa, infudiſſet anguſtijs ſuis euoluta; conſilia noſtra anteuertens, & ſemper aliquid è proximo carpens: donec tandem, quæ virtutem & fortunam V L A D I S L A I IV. reuerita ſubſederat, fomite iterum noſtro, & turbine malorum agitata; recrudeſceret. prætenſa ab hoſtili manu, protectio; & ſalus Regno; ceu aliter malis ſuis adultis, & robuſtis explicari non poſſet, niſi implicitum etiam nouis; ſpe ad extremùm irritâ, damnatiſq; ſed ſerò, turbidis conſilijs; cùm iam hoſtis intima Regni, & caput prouinciarum poſſediſſet. Quidquid certè illud fuerat, quod nos ab hac parte ſecuros, tot plagis, & ictibus reuelauit; Auguſto Scuto Tuo ô R E X! protectæ Patriæ decus, & gloriam dedit. munimentum hoc tuum, ominoſo Aquiloni obiectum; etiam in Scutum Cæſaris, ſuper quo Patria, ex tranſmarino illo naufragio enataret, conceſſit; non vno Alexandrino portu, ſed orbe toto ſpectante; quando diſtentis Reipublicæ viribus, cùm ipſâ etiam ſpe, quæ miſeros vltima deſerit, excidiſſemus; non ſalutem tantùm, ſed & victoriam plerumq; inuenimus. Breue illud fulmen externi Regis, quod ſpatia bello quæſijt, quod Vulcanum, & Cyclopas Lapponum omnes fatigauit, quod hæreſim ſpebus immenſis accendit; ſenſit tandem, quàm præcoces impetus momento finierit, exceptum ab ea gente; quæ indole ſuâ, paulò ſecurior, technis alienis facilè patet, non ſuccumbit. Poſtquam enim fatis Patriæ aliò conuerſis, quæ in præceps iuerant, ex abrupto ſuo reuocari cæpêre; poſtquam

postquam diuina, humanaque passim violari, profanari sacra, distrahique, periclitari omnia; sub fide data nihil securum haberi, prouincialibus sub liberæ gentis prærogatiua nuperimè receptis, indigna, peioraq; seruitio imperari, militarem disciplinam ad ritus peregninos exigi, cogiq;, modicis experimentis, omnia in immensum, à patrijs moribus distare compertum: comparatione præsentium, & hiatu vndè exciderant tam vasto; altùm traiectus, vltriciumq; irarum impatiens Tuus, & fortissimorum Tecum, bellator ille spiritus, id deplorato Reipublicæ statu perfecit; quod tentare ne felicibus quidem licuisset. Reddita terris, sceptrisq; suis Maiestas Principis; concepta, iurataq; contra hæresim sacra indignatio, accensi ad vindicias Patriæ, Sacramentoq; obligati, multorum animi. Rex Suecus nouo quasi fulmine ictus, Prussiâ euocatus, retròq; pulsus, fata primùm sua, mox & inermes propè fugiens; maris Dominus, in fluminum angustias coniectus; perculsusq; tridente suo, grauis ipse sibi Neptunus; per salebras, lacunasq;, ac pudendos circuitus, velut per stillicidia sua consumptus; cæsis, aut alieno vortice haustis, Germaniæ olim terroribus, & flagellis, propè in furias actus; magna illâ instantium Sarmatarum procellâ, propè ad ostia sua, à quibus ipse procellosus venerat eiectus. omnia hæc vt summa, vt stupenda, & immortalia; ita eo tempore, supra spem omnem; non supra virtutem eorum, qui Natali Scuto Tuo Patriam extulerant, fuêre. Pannonas adhuc, & Istrum, iurata Sueco fædera, per fauces Carpathias protrudentes, furere in nos ab Austro oportuerat, ceu Aquilo mali non satis panderet. Populorum illa, an ferarum sylua fuerit, haud liquet; belluas tamen omninò fuisse, extremum vesaniæ docuit. Princeps ipse, Suecorum aucupio lymphatus, magnus in breui scena ludio, præter furorem, & amentiam, melioris consilij grande vacuum, alieni manubrij securis, excidij sui vagina, & tandem Scythiæ viscus; tragicum illud scelus, pro alieno Dominio seruus gladiator, turbâ, & colluuie gentium dum vrget, dùm inter diluuia sanguinis, immane caput, & pudendos circuitus, ad Suecorum tibias mouet; Hercules ille si Dijs placet, sed furens, domi suæ reuulsioni, & plagis insaniæ patuit. Itum per Te, & per fortissimos Scipiones Poloniæ, adusq; viscera eius; vt qui feram induerat, sentire humana disceret. grassati in nos Hunni acinaces, Scuto Tuo retusi, dedêre locum mucronibus Po-

lonis; vt intestina Pannonum scrutati, reos alieni sanguinis, ad pœnam talionis cogerent. Ite retrò nemora gentium, exemplum crudelitatis absq; exemplo, bellum sine offensa, flagellum, sine mensura; ite Brutij Suecorum, mox & ipsi macellum Scythiæ futuri. Sæuissima hæc tempestas, eadem omnium breuissima, expediuit momento sæculorum facinus; properauitq; cæco furore, vt in ictu oculi periret: inauditam lanienam dedignantibus, ipsis etiam, quæ eam accenderant, infernalibus furijs; facemq; illam ante tempus extinguentibus; vt superesset aliquid mortalibus; quod titio ille non vreret, nec sæuum omne Hunnus esset. Vindicias ergo Patriæ, & confossum in larario suo hostem, ac in vincula Tauricæ datum, trophæis Tuis Auguste noster ita adiungo; vt & reliquum omne, in quo Suecus Marte Pannonico, & Polonâ, quam appetierat Trabeâ exutus; ad Borussas vrbes frustra ex aduerso littore respectans, foris inquilinus, ægrè domi suæ Rex, maximæ spei fauces elisit, & pacem bello prætulit, ad Maiestatis Tuæ adoreas venit.

Ponimus hìc vmbonem Sarmatiæ, vbi pax bella composuit; sed reuelamur parte aliâ, & iam sub ictu positi, Scuta poscimus, quæ Moscuam æquent. Faciles Moscua successus, & prona in augmentum formidandæ potentiæ omnia, laceris Regni nostri artubus, & excedente ipsos etiam articulos hoste. Immane robur Schismate concretum, munimentis omnibus fatalis aries, & nihil ex aduerso non emoturus, procedebat latius strage haud dubiâ; nisi saluam iterum in Clypeo Tuo Patriam, Tecum similes Tui Epaminondæ, è voragine discriminum, ad triumphos vsq; extulissent. Prostabat quidem æterna Moschorum labes, triumphati ad Cudnow maximi exercitus horror, tantiq; cadaueris infame minutal, victoriarum Diui IOANNIS CASIMIRI trophæum princeps, Septemtrionis Cordolium, & inquies diu remorsus; sed qui Pœana nostrum domi, foris quoque victoriarum decus interruperat, fœderatus pro stipendijs miles, longa viscerum Patriæ hirudo. Ab hoc duro exactore, publica res propè capta, diu sub custodia fuit; iniectæ manus Patriæ, præscriptæ seruitij leges, datæ consilijs regulæ, expensæ ad stateram liberæ voces, imperatum redimendis, quæ publicè, priuatimq; possidebantur, insolens lytrum; & si vnquam, tùm certè sub hasta fuimus. Malum illud, gemitu quouis altiùs, & sibi magis, quàm dicturis vnquam de eo notum,

eo notum, praxis sæculis omnibus obruenda, ne extitisse eam aliquando, vel extrema ipsius lacinia prodat; quidquid illud fuerat, quod tanto anhelitu egit, feret excoriatæ Patriæ, & impeditæ publicæ felicitatis, cicatricem æternam; cui nullum opobalsamum, tam efficax; vt deleat, quod in corde reipub domesticus pugio fecit. Mora hæc dedit hosti spatium, & robur, cadentibus in irritum, quæ tanto sanguine steterunt. Cosacus tam peruicax, quàm ante; Moschus reparandis damnis suis, grandi potentiâ, & prouinciarum populosissimis haud impar: bellum, post tot præliorum atrocia; totq; post triumphos, tam nouum, tam operosum, & formidabile; ceu nuperrimè cunis suis fatalibus euolueretur. Confici quippè haud vspiam potuit, vel interuentu hostilium, quæ ex omni parte sensimus; vel armorum nostrorum genio, qui continuandis victorijs segnior, maiora operibus respiria poscit. Excindendæ Lernæ Cosacicæ, sæpiùs toti incubuimus, nunquàm inhæsimus; interuallo nostro toties succreuit, deditque nobis recens negotium semper, dùm respirat. ita obices nostri, interpolatis sæpè aggeribus, nunquam in robora duratis, per ipsa repagula Borysthenem auxêre; cui retento tantùm, non domito, vehementia maior; & exhauriendis regni viribus, rimosus vndiq; paries, nouaque sanguinis spongia. Ergo huc cum Heroum cordatissimis, CASIMIRVS Martem diu in Patria Quæstore vertit; auri sacram famem, ære modico sedatam, spolijs hostilibus accendit; manus stipendijs expeditas ferro acuit; dùm in ipsa Cosacica cubilia, in ipsos vel sola vastitate diu protectos, sæpiùs extra ictum, nempè vltra Borysthenem positos, atq; contumaci exindè securitate præualidos, rebellium lares, & annosa mapalia fertur. Armorum Principis fortuna, digna Maiestate, inclinauit breui præfractas ceruices, solioque affusas, & sub Imperij sensu, obsequio pronas; cùm instaret trementibus hîc, obstinatis alibi, clementiâ animos, munitiones fortitudine expugnans, Rex vbiq; bellator, & victor; cui iam tùm, arcano quodam inter se, Regiarum mentium consensu, laborum Tecum ô Rex! maxima communicatio. Diuisit Tecum CASIMIRVS, rem summè arduam; vocauit Te ad merita, quæ Coronam non Ciuicam saperent; metiri Te fortibus gestis, regni aliquando tui fines, iussione sanè non humanâ, sed aliquid ex altò habente voluit. Accepisti mandata, similia breui daturus, victricium copiarum Legatus

gatus; intulisti eò triumphalia signa, quò rarò præiuêre Martis Poloni vestigia; impleuisti vices Regias, eo bellandi spiritu; quo nunc personam sustines. illudq; tantùm inter Maiestatis, & Tua distabat trophæa; quod illa coronata surgerent, Tua coronari mererentur. Scutum denique Tuum, tàm è vicinò hostibus admouisti; vt in eo legere, cladium suarum idioma, etiam sine charactere possent.

Coronis hæc gestorum tuorum, sub alienis imperijs, absoluit Te iam classico illo, quòd hactenùs non à Te imperatum, apud Regni militiam summa omnia iussit. Datum nempè meritis Tuis, spatium hucusque tam amplum; quàm illud; quòd in bellis Patria Tecum emensa est, omnis æui admiratio potius, quám capacitas fuit. Ex terminio nostro quotquot iurati hostes, gentes, hæreses, Schismata; irruptionibus, bellis, prælijs, obsidijs, domi, & in hostico; rebus erectis, & desperatis; in medijs cædibus, mortibus, cadaueribus, tumulis, nunquàm posito baltheo, nullis cùm Marte inducijs, triumphalem gloriam Tuam prouexêre ad summùm. Bonam fortunam, non vt Græciæ disertissimus in clypeo; sed vt Poloniæ fortissimus, in ferri acumine gestans, exæquasti vitam militiâ; primus bellatorum Sarmatiæ, si ætatem Tuam à Gradiuo computes; antiquissimo eorum, quæ strenuè gerenda imperabantur vsu; diu exercitus, parendique, scientissimus, vt summus Imperatorum fieres. Stupeo plerumque, & extra me rapior, cùm ex vetusta fortium Virorum seriè, in L. Sicinij Dentati, Romanorum fortissimi memoriam incido: cùm eum centies, & vigesies, in aciem descendisse, triginta sex ex hostibus spolia retulisse; quadraginta quinq; vulnera aduerso pectore, auerso nullum excepisse; Ciues quatuordecē, ex media morte raptos seruasse, nouem triumphales Imperatorum currus secutum, coronas aureas octo, ciuicas tredecim, tres murales, obsidionalem vnam, torques centum octogita tres, armillas centum sexaginta, hastas octodecim, faleras viginti quinque, ornamenta legioni, vt de eo Maximus inquit: ne dùm militi satis multa meruisse, non tam lego, quam horreo, & expauesco; potuisse in vno homine, Martem omninò totum experiri, quanta sit humanæ mentis vastitas; quæ ad exercitui stupenda; non exercitus totos, sed vnum hominem delegit; in quo & exemplum, & miraculum omne absolueret. Sed ista excessisse fidem, & mensuram humanam, iam non arbitror; cùm eam virtute

Tua

Tuâ ô Rex! vaſtoque militiæ tractu metior. Sufficiſti vnus bellis, hoſtibus, ſpolijs, coronis omnibus; toto illo tempore; quo Tui oblitus, vt Patriam ſeruares, non deſcendiſti in aciem tantùm, ſed deſcendentibus acri dimicatione præiuiſti, ſine numero, ſine menſura periculorum, ſtrageque hoſtium, prouocatione ſolâ virtutis, & gloriæ, triumphalem Patriæ currum non ſecutus, ſed implens; vnus Capitolij totius Sarmatici, grande depoſitum, & ex omni genere victoriarum quæſita, & auguſta inſuper Corona.

Imperatorem ergo Te, cum ſummo iure belli, Regni militiæ datum, excepêre claſſica; quæ prima contra Scythiam iuberes. Procella illa Ruſſiæ prouinciarum anniuerſaria, Gradiui mola perennis, ſubitâ vertigine rapi ſolita, & res noſtras nunquam non atterens; Charybdis denique illa, & prædarum Vorago, dedit in Nuradino, primam Imperijs Tuis, ſed non ignobilem anſam, & opportunum Herculis clauæ monſtrum. Geta bello famoſus, trux animo, ſpe, & nube Scytharum immenſus, florem illum quidem militiæ, quem contra armaueras; ſed paucitate ſuâ propè conclamatum, præſidentiq; barbaro deſpectum, rictu immani, Tauricæ ſuæ deuouerat. Parat iam fauces; bolo, vt credebatur, facili; diducta eſcis dapſilibus ſæua ingluuies; Gelonus acer, & voti impatiens, ſuperinfundi legionibus, obruere totâ acie, inſtare, vrgere in præceps exitij, quos ad extrema momento ituros putauerat. Sed incidit Charibdis illa in Scyllam ſuam, bellua in venabulum, tragula in ſcutum. In Te ſolo Imperatore, noua caſtra, & integri exercitus, reiecêre barbarum; tàm forti, & Heroico repulſu; quâm illi, à ſpebus iam comploſis, & mox in irritùm cadentibus, indignatio maior, & exulcerata rabies feruentiùs accenſa. Pugnatum per Te ô Rex! eo rerum diſcrimine, quo Te ſorberi, & in obliuia cladis æternæ rapi; eorum etiam opinione, qui ex pugnaciſſimis habebantur, neceſſum fuerat; niſi Tu Imperatoriâ virtute omnium animis infuſus, phalangas illas Tuas immortales, magnæ mentis ſpiraculo, & ſingulos Tuorum centimanos feciſſes; pugnatum inquam per Te, ipſis periculis contra pericula, eo genere præliandi; quo rariſſimis, contra laniſtas Mæoticos vti licuit; dùm occupaſti in Te barbarum, vertigine ſolitâ, & prædandi licentiâ teneri neſcium; obieciſti arma famelico, dùm ſpolia anhelat; diſtraxiſti incubantium Tibi vires Marte alio, intendiſti noui roboris ſpe-

 cie

cie Tuas; vt dum ægrè sufficiunt ad tutelam, ab ingenio Tuo crescerent ad formidinem. Dedisti Te in munimentum, & loricam Patriæ; Scuto Tuo, non vt olim Scæuæ, centum viginti ictibus; sed tot millibus obiecto; vt in eo saluas Russiæ oras, ab immensa, quæ ijs haud dubiè instabat strage, efferres; meritò, & beneficio immortali, officio Imperator, animo Cæsar, ipso etiam Dictatore felicior. Nam ille quidem, cum innumerabili multitudine, & feroci impetu Neruiorum, inclinari aciem suam videret; timidiùs pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus, acerrimè præliari cæpit; quo facto fortitudinem, per totum exercitum diffudit, labentemq; belli fortunam, diuino animi ardore restituit. Tu verò nemini ex fortissimis Tuorum scuto erepto, omnium dimicationi infusus, manus vbique, & consilium; cor, & oculus; prouidentia, & robur; reddidisti legiones integras Patriæ, Russiæ securitatem, Deo animas, triumphandi iure potitus; sed rem in pompam non transferens, supra omne ius triumphandi æstimasti; Patriam saluam, Ciues liberos, Russiam non captiuam.

Adhuc tamen, cùm in Te periclitaretur, expes animi in capite Augusto, non fuerat Polonia. Viuax Gradiui nostri Maiestas, in Ioanne Casimiro Regum fortissimo superérat; vegetum illud, & nobile spiramen, maribus Polonorum animis, infundendum haud dubiè; nisi Te eminentissimi spiritus animam, exercitui dedisset: sed cùm id etiam in caput nostrum recidit, quod positæ Coronæ, tot sæculorum apud nos prodigio exhorruimus: tùm demùm Mars totus in Te deciduus, non procubuit quidem; sed cùm transfudit in Te, quod à Throno prodibat; incùbiturum Tibi aliquando, quod solos Reges fatigat, præsago munere ostendit. Res ea fessi imperio Principis, apud Sarmatas nouissima; eorum insuper destinatione, quæ in Te ab alto transibant, tantò mirabilior, breue interuallum posuit, quò Te differret; ingens negotium, quo probaret. Prouisum à Te Patriæ contra hostes; vt securis Ciuibus, libera pro Rege suffragia, in Ciuem tandem desinerent; præirentq; exemplo, in quo & Tu iam Regno decernebaris, cùm id non ageres; deterente sensim vires suas inuidiâ, cùm hebetatione priorum, minùs acuta successisset. Maiestatem ex æqualitate, liberis vocibns factam, gratulatus Patriæ, concessisti in vota; pulherrimum ratus, quòd diu à nobis Orbis expectaue-

pectauerat, domi Regalibus animis non egere. Contra animorum flabella, secura Tibi animi quies; & iugis in portu nauigatio; cùm Patriam amares, non iuxta interpretem populi sensum, infra quem magnarum mentium commentatio est; sed iuxta limam, seriò, & constanter exigentium à se, quòd bono publico expedit; prouidentiumque à longinquò, ne sera pœnitudo, præceps consilium damnet. Multi sunt amatores Patriæ, qui zelant pro ea, quamdiu foci ardent, ab ouo vsq; ad mala amici, ostentatoris zeli Thrasones, pro bono publico cicadæ foris, intùs Harpyæ; quibus si rempublicam commemores, præfocari eos altis suspirijs credas; cùm gemant vt turtures, & vulturia cogitent. Plurimùm tamen distat, inter apes, & fucos; quamuis vtrisque mella sapiant, non mellificia. merentur alij, fruuntur alij; nec tantùm illis sapiunt, quæ non fecêre; sed obstrepunt quoque laborantibus, quorum meritis saginam suam farciunt. Tu verò lacunosas talium, & bifidas mentes execratus, quòd liquidè amasti, candidè promens, secutus es vota Patriæ, non plausum quærens; sed concedens in sententiam gradu serio, & qualem benè mansa consilia suspendunt, vt solidiùs figant. Inaugurationi Principis, throno, & Patriæ beneuolens dùm assistis, solennia tuæ meruisti; reuelatus, & patens oculo illi, quem nihil effugit; probatusque cordi Diuino, cuius cogitationes, non sunt cogitationes hominum. Ad Maiestatis certè consilia afferebas pectus, prout & Marti expositum, grandi solicitudine imminentium suspirans; & haud frustra dolens in sententia, quam pondera sensuum vrgebant. Vndè meditatum alijs in scirpo nodum; & nimiam arcanorum, quæ profundiùs quærebantur, quàm latuêre, indaginem relinquens; Tu aperto Gradiui, & animi campo, fidam Principi, & Patriæ mentem testari, Imperatoriâ virtute maluisti. Iam enim magnam mentem Tuam subibat, quantus nobis cum Otthomanica potentia labor, quàm sæua Regno instaret tempestas; haud dormitante continuâ exploratione Tua; cùmq; Argis à Te submissis, crebrescente in dies famâ; quem Ianum nobis Porta illa, & quàm immensa armorum ostia aperiret.

Incendium belli, á Cosacica furia, prout & omnium, quæ se hactenus nobis infudêre. seruile caput, pridē limina Otthomanica lambens, sæpè in Chmielnicio, sæpiùs in alijs, qui post eum, purgamentis Borysthenicis præfuerunt repulsum, vrgere scelesta consilia non

 destitit,

destitit; ipso etiam glorioso fidei obtentu, quo res suas firmauit, arietauit nostras; dùm Machometana suffragia ambit, ob extremam rabiem proiecto. Diù tamen Oriens, transfugas à regno exosus, seruumq; pecus, interuentu tantæ potentiæ indignum ratus, dum Græcâ secum fide agi reputat; occasionem tamen prouehendi Imperij haud incommodam, non tam reijcit, quàm differt. Cretensi tandem bello expeditus, negotium spontè influens admittere decreuit. Ergo tentanda primò noui Regis auspicia visa; cùm non fallerent Byzantium, quæ apud nos, ex recentis Imperij lubrico, cùm magis putaretur, quàm esset, in vulgus sparsa; infirmam cardinum regni inter se cohæsionem, ac velut momento dehiscentia, quæ in tantùm surrexerat; ex coniectantium anxijs, sed infelicibus curis, tollere in maius videbantur. præmissi huc Tartari, rorarij Turcarum, fida iterum Cosacis, iubente Byzantio manus; contra quos, pro MICHAELE Rege, itum est solitâ virtute, & animi magnitudine Tuâ, eoque armorum successu; in quo felicitas publica seipsam mirari cæpit; cùm prona omnia, quæ non vnam bellorum olympiadem extraxerant, apud obstinatissimos rebellium haberet. fusi à Te sæpiùs ingruentium Tartarorum exercitus, compulsi in spelæa sua Cosaci; mox ijs deditis, aut captis, cum Bracłauia, vrbium eius prouinciæ prima, non modica pars regno accessêre. Mira victricium armorum gloria, mira animorum inclinatio, absoluit per Te opus cogitatione suâ maius; sed perculit quoque immitem Zaporouianæ militiæ belluam, caput sanguinarium, & Patriæ sicam; vt cùm tantis breui successibus Tuis, dira sibi omnia, & extremum parricidalem culeum, restare portenderet; moto in sequentem annum contra nos Oriente, id ageret; vt rerum compage solutâ, lucidus vmbroso misceretur axis Auerno.

Collegerat iam diù minax, & ideò minus credita, sed tandem portento suo maior, immodicas Turcica potentia vires; imperato maximis prouincijs delectu, motis ab exrrema Asia gentibus; Europæ populis, quotquot tanto dominio subsunt, à Thracia, & Ponto, ad Istrum, & vtramque Daciam excitis; apparatu, & milite, post res Venetas, Cretæ subiugatæ tristi euentu attritas, in immensùm tumentibus animis, non ferendo. Segni interim ad hæc, & vltra solitum, resupino torpore nostro; commentis falsi, explosionibus

veri

veri infinitis; dormitatione tam securâ, sopore tam robusto; ceû Gaditanus, vel Iapon, in vtramque nos aurem dormire; & non gemens in traiectu Asiæ Hellespontus, & iam effusa ad Tyram Propontis, seriò vigilare iussisset.

Eripit mentem, adactus in viscera dolor, refricatione sui, nouas cuspides armans; nec vt alij elongatione temporum hebescens; cùm refugientibus horrorem suum cogitationibus, ac velut retorto collo obnitentibus; & tamen in æterna obliuia, quæ mallent, transire prohibitis; obuersatur animo Regni facies illa, quàm apud nos, bellum omnium maximum; ipso etiam hoste in varia sensuum dissecto, & rem tanto silentio conuolutam stupente; nunquam aliàs conuulsam æquè, & comploratam iuuenit. Asiam personatam, nouum proscenij genus, Gradiui simias, & sub ænigmate hostes, fidem inuenisse; non apud proletarios tantùm, sarmentaque populi; sed apud eos etiam, qui cælum digito tangunt, & ex tripode loquuntur; id demùm fuit, quòd cùm plurimos exocularet, etiam collyria spreuit. Constabat orbi, quod exquisitè ignorare, rerum vt putabantur sagacissimi voluerunt; iacta de nobis alea, pertuso mentis fritillo excepta est; nihil vspiam creditu faciliùs, quàm laruatus Oriens, & breuis in imagine lusus. Follibus his mota animorum fluctuatio, exerente se, quamuis inter tot reciprocos æstus, constante veri rumore; contra impellentibus, & classico eripientibus fidem, qui fora, & curias miscent. Ita feruebat cortinale ebullientium in diuersa sensuum. At vobis sacræ Gradiuo animæ, quis hic gemitus! quanta missilium cordis, cælo teste eruperũt suspiria! quantâ curâ tuâ ô Rex! quàm tempestiuo periculorum libramine, quàm continuo suasu, & impulsu, quanto literarum sensu, & ardore actum est! vt Vertumnus ille, tot simul formas ementitæ famæ indutus, execratione publicâ tolleretur; vt oris illis Russicis, & antemurali earum, quòd primùm maximo Turcarum obsonio destinabatur, validis præsidijs, & exercitu quàm instructissimo prouideretur. vt quod Illirij, Rasci, Bulgari, Daci, de traiectu ad nos Asiæ, per pontem Danubij maximum constanter vulgabant, seriò tandem crederetur. eo nihilominùs profectu, quod cædi victimas, non Veneri, vt olim apud Romanos; sed Bellonæ Verticordiæ oportuerat; vt redirent animi, quos vertigo illa, & commentorum Euripus loco mouerat. Dedit tan-

dem classico Tuo fidem, superinfusus Podoliæ campis, Turcarum exercitus ille; qui cum Xerxe suo, mari compedes, & cælo tenebras minitatus, Cameneco formidandus oppugnator assedit. Diuinum illud opus, Acrocorinthus nostra, munitionum prodigium, Scutum Patriæ hactenus illibatum; circumuallatione ingentis exercitus, portentosis machinis, cuniculis terrarum, & suffossionibus; instante tot gentium operibus, & vrgente omnia, ipso Poliorcete Byzantino; immensâ vi, & extremo nisu oppugnatum; exhaustis modicis viribus, desperatisque suppetijs, gemitu orbis Christiani, & damno incomparabili, in manus Turcarum venit. Nec hic tamen fragor, cadentis tantâ ruinâ maximi omnium propugnaculi, quidquam profecit; donec prouectâ Leopolim vsque Turcarum arma, & infusi prouincijs interioribus Scythæ; igni, & ferro rem agi, & non spectra obici persuaserunt. Quid ego hic Augustum Cor Tuum alloquar? quid sicam atrocissimi doloris Tui, hærentem pectori, & in mille vulnera recrudescentē commemorem? cùm immanè, quantum dolens, & suspirans; vindicemque spiritum implacabili eruptione prodire volentem, continere non valens, visceribus totis rumpereris. donec Te sors illa, Poloniæ quidem sinistra, sed in dexteram excelsi roborata; cum paucis, sed fortissimis legionibus Tuis, Decium pro Patria faceret. Ergo non Annibalis, vt olim dux in Italiam genius; vt vastitatem Italiæ videns, cætera fatis permitteret, admonens: sed æquè piùs, ac fortis animus Tuus, sibi pericula sumens, cætera Patriæ donans, concitato impetu in Tartaros fertur: primasque ex ijs ad Niemierouiam Plutoni victimas cùm dedisset; eodem victoriæ cursu, nec respirans, nec fatiscens, ad Rudki, ad Komarno; & quocunq; instans prædatorijs agminibus Nemesis, Scythicum turbinem illum protruserat, fortissimè cæcidit; permittente reliquis fato, vt quas gladius Tuus non hauserat, palustres animas vligo sorberet, & humentes Cocyto manubias daret. Non profuit Nuradino, effusus trans Tyram palpitantis fugæ receptus; dùm vorticosi fluminis, raptu potiùs, quàm traiectu, secura Tauricanorum cubilium respiria, inuadis tonitru non ferendum. Disiecti fortissimâ virtute Tuâ Barbari, totâque acie fusi, stratis fœdâ cadentium strage, latè patentibus campis, extremæ internecioni patuêre. Obiectæ infelicibus reliquijs syluæ, dùm latibula vitæ putantur, mortis ineluctabiles angustias fecerunt.

runt. Ferarum Ponti tot millia, interiectis arboribus clausa, aut in cænosas voragines compulsa, iuêre in venabula aggrestium; truces animæ, talibus retiarijs datæ. Sacer ille lucus, Getarum infamibus expalluit cupressis; Tibi in palmas, & cedros viruit immortales. Fructus victoriæ Tuæ maximus, dirupta tot captiuorum vincula; erepta Tartaro præda, quiquaginta propè millium, innocentium capitum numero censa; tot manus pro Te cælo supplices, tot ora in Panegyres Tuas soluta, æterna virtutis Tuæ rostra, viua gloriæ trophæa. Fasces, triumphi, Coronæ, decora omnia in Te congesta, non exæquabunt vnquam meritum illud; quo Tu trifaucis Cerberi in Taurica victor, tot illibatas animas, spurcitie Machometicâ haud dubiè polluendas, Deo, & Patriæ pretiosissimas manubias reddidisti: triumphalium nominum magnificentiam omnem, & quidquid victricibus laureis coronatum incessit, ob victoriam tuam spontè fluentibus gaudijs, & tot millium gemitu in Pœana conuerso, longè superans, vt iam non dubitem, primas illas liberas voces fuisse; quæ apud Maiestatem illam, prima tibi vota, & suffragia dedêre; cuius inscrutabili arcano, Rex, eorum destinabaris, quorum vindex fuisti; dignus liberi populi Imperio, dùm ab eo vincula gentium tollis. Trepidatum in castris Otthomanicis exindè, retroqueactus hostis; cùm Nuradinus, tantum famosi nominis propudium, cum paucissimis Scytharum ægrè animam trahens, per latebras, & occulta saltuum, nemorumque gladio Tuo ereptus, cænum adhuc, & vicinas Stygij paludes olens, sordes infelicis prælij execrantibus intulisset: Turcarum haud leuibus coniectamentis, quàm res eorum fuissent in arduo; si caligine illâ euolutum, Tecum arma, Tecum fida pectora, integrum adhuc Patriæ robur sociasset. Sed eò nos rerum venisse tandem serò aduertimus; quò se inclinari virtus Polona, haud vnquam passa, obrui potiùs, quàm erubescendis superesse elegerat semper; morte quâuis felicior, quàm huiusmodi vitâ. Fatum Cameneci, iugumque Podoliæ tantò dolentius; quòd exiguâ prohibentium curâ, ac stupentibus vaginas suas gladijs, diuq; ambientibus cur hæsissent, ceu per Arachnes telam inciderit. vbi calentibus opus erat animis, intempestiuo tepore; qui apud posteros inexcusabilis frigebit. Pulcherrimis tamen operibus, misceri hæc, & interuenire necessum est; vt humanas vices sentiant; vt à casibus suis eminentiùs surgant; vt

iudicij

iudicij publici ophtalmiam tollant. Nec enim frustra nebulæ, cum sole matutino confligunt; nempè vt expectatam eius faciem serenius reuelent, & assiduitati vicissitudinis gratiam interponant. Redijt tandem rectè suadentibus oraculis fides, cortina veri locuta est salutem Patriæ, & iustas benè merentium laudes. agnita pericula, vniti animi, gratiæ Tibi, & coronæ decretæ; eòque versa omnia, vt cum virtute, & animi magnitudine cuncta vicisses, solus Tibi restaret triumphus.

Vertit ad eum, maximo Tibi theatro apparandum, nouas Byzantium curas; postquam apud nos mali vis intestina sedisset, quæ res maximas dilabi fecerat; dextras in Martem mutuo complexu iunctas, toruo Oriens intuitu excepit, haud frustra timendas ratus cùm in sola armorum vi, tantùm momenti positum esse, cæsi toties ad cladem vsq; Calusianam Scythæ docuissent. Insistendum operi, & rebus in tantùm prouectis Imperij Otthomanici apex decernit. constantis famæ impulsu; quæ armari Poloniam, & vnire animos cùm vulgaret; Turcas haud segniùs continuandis nuperrimis successibus incumbere fecit. Necdùm quidem gentium aliæ, finibus suis redditæ, puluerem nostrum excusserant; quas superioris anni expeditio, orbe toto contra nos exciuerat; verum placuit Otthomano, non numerum armare; sed Martem ipsum, Cretensi victoriâ clarum; cum Duce tanti operis, Tribunis, & legionarijs, exquisito delectu segregatis. ipsoque robore exercitûs, tantò augustiori victoriæ Tuæ destinato. Colligit Asia vires, seligitq; bellatores; vt non vincas, nisi Heroicâ virtute Tuâ dignos; quando nec ludus quidem, orbem triumphaturo Macedoni, nisi cum Regibus sapit. Post tot fortia gesta, post tot Martis Tui Olympidas, victores Tibi vincendi debentur; vt inueniat, post Cretensia trophæa intolerabilis, & se ipsum non capiens, cui assurgat, Turcarum fastus. Tibi Vexillum istud, quod contra nos barbaro rictu Oriens pandit, adusq; Vaticana Capitolia, triumphalem gloriam Tuam expansurum protenditur: Tibi militares animæ, non leui brachio perituræ, ex triariorum lectis capitibus armantur; vt non vulgares omninò victimæ, manu Tuâ concidant; quàm hîc iam ad sceptra initiari Deus voluit. Tibi Chocimenses campi, & illa ipsa castra; in quibus vniuersam cum Osmano Asiam, Polona virtus sustinuit, ad victoriam patent; vt

cùm

cùm à Magno Patre, & Auo non distes meritis, nec etiam segregeris triumphis; vt ostendas, genium loci non mutare Thraces in Sarmatas; nec pati posse impios victores; vbi semel pro gloria Crucis triumphati sunt. Vrgebat fatalis excidij reos stimulus ille; qui noxia capita, tùm maximè fodit, cum supra iugulum ictûs. Consedêre tempestiui, & munimentis suis crediti immortales; cumq, praeoccupant locum, arenariam in eo suam anticipant nescij; maturis victoriae fructibus, vltra vindemias seruati; nec ante casuri, quam expectassent, dignum tantâ expectatione triumphum. Tu quidem ô REX! sera videbaris, sed tantò vehementior hosti tempestas; non distinens Martem, sed fulmineâ continens nube, densatâ vi in hostes atrociùs erupturum. Castra iam Tua crebrò milite feruent, ardentes animi spe victoriae flagrant; Tu fomes omnium maximus, iam aduolas, iam calentibus nouâ flammâ infunderis, iam omnia imples. Effudit in sinum tuum, aeternae memoriae MICHAEL Rex, beatos illos spiritus; qui iam caelo viciniores, non humana spirabant; & cum exercitu recensito, fortunam Regni Tibi crederet, credidit & coronam; in personam Tuam vices suas, & arcanum Diuinum refundens; quod paludamento corporis breui deposito reuelauit. Effudit in Te, & os Regni augustum, Celsissimus Princeps ANDREAS OLSZOWSKI Procancellarius, & mox Primas Regni, Praesuleae benedictionis fontem illum; à quo prouenere, dexterâ excelsi Tecum virtutem faciente, parti pro DEO, & Patria triumphi, quos in Te coronat. Trans Tyram ergo, quâ hosticum vicinius patet, Polonae Tecum, & Littauae acies non feruntur, sed volant. tumentes aquae, & autumnali riguo praeualidae, non proficiunt contra audentiùs euntes, cum quibus spes victoriae, tranat. Tenet Dacicam ripam, miles iam vado expeditus; infundit se agminibus laetis, & ouantibus. sed Tuus ad omnia cautus; non dormitat mentis oculus; suspecta illi in hostico, vel minima securitas. ordines per Te ad militarem disciplinam formati. cohibita castrensis licentia, meditamenta hostium praeuenta, & obseruata. exploratorum continuae ad indaginem vices. copiae vbiq;, si hostilia ingruerent, praelio promptae, parataeq; ab animi Tui magnitudine, omnium vis, anima, robur. Superasti hâc Optimi Imperatoris virtute, quidquid vel exotica tellus, vel alienum à bello tempus, duri perplexique obiecerat: famosam cladibus

noſtris ſyluam, ſeruatis ordinibus, & præmunito validâ manu, ne colluctantes ſtratagemati hoſtium paterent, ſuſpecto viarum anfractu, & lubrico, magnis itineribus emenſus; hoſtem domi ſuæ, atque in illo larario hærentem, attonitumq; inueniſti.

Hic ego Regum Inuictiſſimè, infra magnitudinem tanti operis poſitus, primum me ex victis Tuis profiteor; intercepto eloquentiæ ſpiritu, quem rerum geſtarum incomparabili gloriâ exhauſiſti. concedens inter eos, qui Martem Tuum non exæquarunt; vno hoc tantùm ſolamine, quòd Maieſtate tanti negotij opprimi dicentes, victoriæ nobiſſima portio ſit. Quis enim Te ex menſura illà virtutis Tuæ loquetur, quâ ipſas etiam cogitationes excedis? Caſtris Turcarum Chotimicis, terror ſimul, & ſtupor; quòd parte anni intempeſtâ, procul à Patria, in ipſa barbarorũ, aut infidarum gentium ſede, in ipſo rerum naturæ, & ſpei lubrico; animo, & fiduciâ ingenti; caſtra illa, vaſto ambitu, & opore in immenſum producto, vrbium maximarum æmula, aggredi in animum induxiſſes. Deſpectæ quidem primùm hoſtibus vires tuæ; quas vel à ſola aëris, & loci inclementia, breui abſumendas haud fruſtra arbitrati; continere ſe intra latibula ſua, & incruentam expectare victoriam decernunt. ſed vbi Te agendo, non deliberando, ad ſumma omnia ferri patuit; ipſi etiam Otthomano gladij concrepuêre. Ergò prima Tibi eliciendi hoſtis cura; qui infortiſſimos tuorum velitatione incurrens, mox ſupercilium poſuit; impar animo, cædique facilis, & ad irritamenta victoriæ pronus. Iam in eum crebra tormentorum fulmina detonuerant, prouocatione Martis, ſi aciem vellet; grando tamen hæc, cùm ad eliciendum non proficeret; vt à Dacis deſereretur profecit. Fortitudinem illi, & animi Tui magnitudinem admirati, defecêre à perituris; ſub quorum immani iugo gementes, nunquàm non exitia optant. Opportuna hæc rei tormentariæ, deſerta à Dacis ſtatio; tùm demùm miſſilibus Tuis hoſtem vehementiùs adorta, fatigare non deſtitit; vt res Gradiuo dignas ageret, campiſquè infuſus prælio decertaret. At ille munimentorum loricâ tutus; copiarum, & rerum affluentiæ fidens, oppugnatoribus, vt rebatur inacceſſus; cùm victoriam Tuam biduo moratur, decretoriam in craſtino diem non effugit. Iam enim, Heroici ſpiritus impatiens, gerendorumq; momenta haud ampliùs differre ſtatuens, obſtinatos contra prælium

Turcas,

Turcas,in ergaſtulis ſuis,ſummâ virtute oppugnandos animo deſtinaras; adurgente opus,die Chriſtianis auſibus digna; quæ Diuo Martino Præſuli Turonenſi, fortiſſimo olim militi ſacra, inextinctam rebus Mauortijs, & gloriæ Tuæ accenderat facem. Promicuerat ægrè ocellus ille dierum, cum Tu Heroum apex, & ſummitas, magni animi plenus, ſub nube illa tormentorum, ingens negotium auſpicatus, caſtrorum hoſtilium molem Coronâ cingi imperas; ipſe ſub ictu hoſtili, vallo, hoſtiq; propinquas; mactandos breui admirandâ fiduciâ ſpondes, calentiſſimo ſpiritu Tuo omnium animis accenſis, inacceſſa hoſtium iam aggrederis, iam ſuperas, iam vincis. Momento planè res immenſa, ſimul cæpta, ſimul perfecta; fulmine inuadentium per abrupta quæque, per implicita, & gradum fallentia, per impoſita rupibus terrarum pondera, dicto citiùs perrumpente, iamq; caſtris hoſtilibus illato: cùm Tu Polonas hinc acies, inde Lithuanas Pacius, & Radiuilius, gemina Martis illius celſitudo, validiſſimis erumpentium opponens; hos caſtris, vbi ex deſperatione pugna atrociſſima immittens; illos ad Tyram ponte ſtratum; quâ confertiſſimos fuga egerat, ne elaberentur obijciens; nullibi à pugnaciſſimis Tuorum diuiſus, vbiq; mortem, & pericula poſcens, inſtares auguſtiſſimo operi, & totus in delendo Otthomano eſſes. Exhorreſcit animus ad cædem illam, quâ miles Tuus iam caſtris, iam victis incubans, cruenta omnia fecit. Hoſtis totus nil niſi vulnus, & ſanguis, ſtrages, & excidium. caſtrorum magnitudo, apparatus, opulentia, nil niſi triſte funus, direptio, & vâſtitas. præcipitia Tyræ fatales Turcarum ſcopuli. amnis ipſe tabo, & ſanguine decolor. Huſſeymus tanta illa victoriarum pompâ, tantus ſubiugatæ Candiæ fragor, præcipiti fugâ abreptus, infamis tantæ cladi ſuperfuit titulus. reliqui Duces promiſcuè cæſi; exercitus tàm validus, tàm ſelectus; ceù, quòd non nemo Tyrannorum optauit, vnam ceruicem haberet, vno velut ictu deletus, æternitatis operum, inter miracula ceſſit. Conſecuta victoriam captu ſuo maior, & iuſto exceſſu ſuperfluens lætitia. prima Exercituum Domino, triumphalia per Te decreta; mirâ rerum conuerſione, Prætoriano Huſſeymi tentorio, ſacrum Pœana cecinêre; adorante vniuerſo exercitu, virtutem illam diuinitatis, quæ tecum fuerat; cùm quò Tu veneras animoſiſſimus; quòd videras impauidus, Devs per Te Vicerit, vt merita Tua coronaret. Dico hæc coram Te Rex, eorum

 quæ

quæ fecisti, tam securus; quàm Tu non eges, vt aliter prodeant, quàm fuêre; minuendæ dictis gloriæ Tuæ certior, quàm augendæ. Victoria hæc Tua, currus triumphales non ambit; magnitudinem suam, simulachris victarum gentium non ostentat; fercula, pegmata, coronas non præfert; effigiem Tuam in cella Iouis stare, nec vt Pompeianam gemmis, variegari postulat; thura, flamines, victimas, libamina Deo tribuit: illud tamen omni æuo, sine pompa, sine apparatu loquetur; Turcas castris munitissimis, tantoq; exercitu cinctos; & nihil minùs sperantes, re apud Otthomanicam potentiam hactenùs inauditâ perijsse. In quo, quantùm Tibi Polonia, quantùm Orbis Christianus debeat; Regum Tibi similium capacitas, & opus; reliquis admiratio, & silentium, pro eloquentia est. Res ea certè per Christianitatem vulgata, non rumor; sed amor, & delicium fuit. Tu in omnium ore, oculis, animis: Tu bellatorum gloria, æui nostri pretium, gentis Maiestas, & splendor; Danubio fræna daturus, formidinem Byzantio; si qui, Regiæ mortis interuentu, dilabi cæperant; expansis ad maiora animis, augusta proposita Tua exæquassent.

Munimentum ergo, & Scutum Patriæ, occasu Augusti Capitis, iterum reuelate factus; quanquam fatis Regalibus turbato exercitu, copijs diminutis; Cameneci tamen, post cladem Chocimensem rebus trepidis instare, & compulsos in caueam suam Turcas, tenere in arcto non desistis. Hûc curæ Tuæ conuersæ omnes; vt legionûm coronâ, è vicinis castellis interclusus hostis, spe omni subsidiorum excideret; prohibitisq; eruptionibus extremâ rerum angustiâ conflictatus; fata sua, & discrimen ineluctabile cogitaret. Actum id summâ Tuorum constantiâ, eòq; ordine; quem Tu ex alto consilij, excubantibus ad id decreueras. Fugatus sub oculis Cameneci, retroq; toties pulsus, rabidus fame, & sæua hieme hostis, nihil à Te omissum, quò rabies eius, spebus in dies magis concidentibus efferata, fremitu, & indignatione, in viscera sua sæuiret. donec Te Patria, ad Electoralem campum, maximis Comitijs poscens; Imperatorio munere absolutum, Heroica gesta voluit, in Maiestatis opera commutare. Quæ cùm iam pro me, non verbis, sed gemmis, in augusto diademate loquatur; indicit suadæ, soluit plectro silentia; vt qui Te

Bellatorem hactenùs, & Heroem Maximum dixi;

nunc Te canam AVGVSTVM.

AVGV-

AVGVSTORVM
Ab
ELECTIONE REGIA OPERVM,
PANEGYRIS II.

VTamus CLYPEOS *iam nunc*, REX *Maxime Tecum,*
Maiestate nouâ solij. nam quando stupenda
Gestorum series, non eluctabile dictis
Fecit opus; succedat ebur, quod concinet orbi
Te melos augustum. sempernè seuerior ibit
Marte Tuo genius? nec se testudine dulci
Tantus amor Lechiæ, sæclôrum tanta voluptas,
Inferet optato placidis concentibus æuo?
Imus ad entheos raptus, Tecumq; calemus
Igne nouo; dum festa Tui luxêre triumphi
Fulgura; Sarmatici iubar Augustale Trionis,
Dum Tibi Regnanti felix cortina reuelat.
Sarmata iam campo, quose vox libera pandit,
Inchoat orbati perplexa negotia Regni,
Sollicitus quâ parte throno succurrat, & orbis
Impleat arrecti censuram. nempe sub ictu
Ponimur extremo toties; fastigia Regum
Sêu fato demptis trabeis, sêu morte relictis,
Orba gemunt quoties. ingens tum cura fatigat
Electorales animas; tum sudat anhelo
Orbis in ambitu solij; suspensaq; rerum
Voluitur, & dubio librat se cardine moles.
Stat Lecho mens vna tamen, ne purpura cunis
Absoluat meritum Regni; nec sola potentis
Imperij lex sit, nascendi fascia Princeps.
Non natura thronum, sed mens, sed Regia virtus
Electis decernit; ubi Celsissimus extat
Libertatis apex. hinc prisca Senacula campo

Credidimus, caloq; damus suffragia teste:
Libera ferratis nec claudi postibus ambit
Vota animi promens, dicendi iure potestas.
Sic Regem dici, trabeam sic posse mereri,
Hoc summa virtutis opus. lectissimus ergo
Purpureaq; toga, sellisq; curulibus ordo,
Flos patria, tantaq; rei vis publica sedit
Principe sub mitra; quam CZartoryscius vno
Vertice fert geminam, Regum de sanguine natus,
Dux, Primasq; simul. sed mens in corpore lapso,
Altior humanis, calo vicinior ibat,
Par augusto operi; magno quod cardine rerum,
Auspicijsq; sacris posuit feliciter orta.
Ardua mox tripodes, consultorumq; fatigant
Prima Virûm capita; infert se tamen omnibus vna
Cura throni maior; tantâ sub cuspide fati,
Quo caruisse diu, non vno pondere labi,
Quin cecidisse fuit. iam Vaticana locuta est,
Casarei iam vox solij, iam Gallica Suada,
Iam Neoburga suo pro Principe, iam Lotharinga,
Æmula vis egit Sceptrorum, & gratia fandi.
Audijmus pro Te sed REX *Auguste perorat,*
Cordibus humanis, diuinum flamen ab alto
Sanctiùs illapsum. non est mortale, quod intùs
Te loquitur Regem populis idioma; nec vrget
Vulgari stimulo pracordia liberà pro Te.
Suada loqui cesset, satis est egisse triumphis.
Orbis idem, quod fama sapit; qua nescia vinci,
Iam Tibi decretos calo fert iudice fasces.
Ite triumphales pro magno Principe voces!
Tuq; Oriens, Tu saua loqui non desine Ponto,
Atq; Borysthenicis tempestas orta procellis,
Victori fer Vota Tuo. Namq; hostibus ipsis,
Extorquet plausus meritos Heroica virtus.
Feruet in Augusto iam nomine, maxima campi
Libertas, Latumq; sonat REX *viue* IOANNES;
Quem

Quem prior elegit virtus, & gloria victrix,
Publica quàm voto Lechiæ sententia Dixit.
Quid moror? en acta est res augustissima votis
Omnibus. & quamuis se libret plena voluntas
Parturiens opus eximium; non illa negabit
Litthauicos etiam sensus. Heroa fauete
Pectora. funiculus triplex non rumpitur; in quo
Luce Sacrâ Triados, qui coepit, stabit in æuum
Consensus patriæ, cæli spiramine dictus.
At Tu quid trepidas! quid magnâ mente moraris
Decretum Regale decus? si pondera libras?
Iam norunt Atlanta suum. si fulmina cudit
Mulciber Odrysius? iam Scuto Dacica tela
Dissiliêre tuo. non est quod brachia tanti
Roboris incuruet. Thrax ferreus. & Geta cogat
Immanes animas, Tu cunctis celsior ibis.
Si renuis? stat amor patriæ, qui vincat, & ipsum
Victorem; innumeris maior victoria palmis,
Sic tandem vinci. non iam Tibi, sed magè nostro
Te concede bono. non est Tua causa, sed orbis
Christiadûm res est, quæ maxima vertitur in Te.
Hoc age, quod pietas, quod poscit publica de Te
Spes, patriæq; salus. sed iam vox Regia salue!
Quæ dum consentis, Casus Te promis in omnes;
Vosq; pares Regno, magni saluete Lacerti!
Arctoum vobis securi imponimus orbem,
Totq; Asiæ, Pontiq; minas. Tu Lechia festis
Ignibus, Electo claros accende triumphos;
Et quod fecisti, pleno splendore Corona
Maiestatis opus. Iam REX Tuus induit ostrum,
Murice Sydonio, non Lydia dextera quale
Mollibus intexit ramentis; quale nec auro,
Assyrius, Phrygiusue Color, discrimine fecit
Gemmiferi roris. non hæc conchylia spirat
Bellator genius; non est hæc purpura Martis
Apta sago. chalybem totus, ferrataq; duri

*Tegmina fert oneris; riget vndiq; Martius illi
Pugnaturo habitus. sic Regem Lechia moris
Nosce Tui; qualem bellacis Sarmata vitæ,
Barbaricas acies inter, gentesq; requirit.
Hectora non alio vidisses murice tinctum,
Sanguineum quoties biberet Simoenta Pelasgus;
Arma cruentatis latè fulgentia campis,
Dum geminas vrgent acies; Telamonius inde
Argiuos enses; hinc Dardana Tela retorquet,
Iliacis pugnans magnus pro moenibus Heros,
Casside visendus Phrygiâ, totusq; Gradiuum
Indutus, sæuamq; ciens in vulnera mortem.
Sic trabeam ferro, sic mutat fascibus ensem,
Cœptaq; regnandi duris exordia castris,
Rex bellator habet. non ambiuisse coronam,
Vel fulgur solij, vel languida desidis aulæ
Otia, vel nimio distenta palatia Luxu
Constet vt; Odrysijs accenso Marte periclis
Fert caput augustum; non vanæ flamina pompæ,
Sed spatium meritis quærens, & Principe digna
Gesta; Coronato plus vertice, posse mereri,
Sudatamq; putans frontem diademate cingi
Iustiùs; inq; paludati Thoracis amictu,
Spectari Regum trabeas augustiùs omnes.
Thracius interea grandi formidine Mauors,
Collectas Asiæ vires, immaneq; vulnus
Sæuo corde ferens, Chocimi post dedecus, & post
Dacica castrorum memorandæ funera cladis;
Tysiphonem totam spirans furialibus armis
Ibat, & vltoris gladij portenta minatus
Hellespontiacis cum Cæsare gentibus Istrum,
Vicinumq; Tyram, Ponto indignante premebat;
Sarmaticis furor haud dubiis instare ruinis
Creditus, & Martis Daco super aggere cæsi.
Regius huc infertur apex celer, anxius, ardens,
Electum Patriæ Scutum, spes tota Gradiui,*

Contra

Contra Otthomanas acies, ipse Hector, & Aiax;
Tempestas Orientis atrox, quò fulmine tanto,
Quò tanta rabie, & metuendo turbine vergat
Gentoculus vigilat. nunc Moschi fœdera Martis
Solicitans, Volgamq; ciens; nunc classica tanto,
Ingrueret si fortè malo, fulmenq; trisulcum
Augusta virtute parans. sed tota Propontis
Incubuit tandem, pœnas vltritibus armis
Cosacico sceleri, pro quantâ strage datura!
Hoc Nemesis poscebat opus; nam Limina Portæ
Sæua Musulmanæ, toties qui perfidus olim
Lambebat, sternaxq; diu, semperq; rebellis
Cosacus heu sensit! quando fudêre cruenti
Ostia mille mali, totasq; voragine fati
Absorpsêre vrbes. Humanio quanta tot annis
Viribus, & numero, tumidisq; potentia rebus!
Opportuna situ, loca feta palustribus vndis,
Qualia prærupta faciunt, fædeq; Lacunæ,
Vndiq; inaccessæ. Longæua rebellio seruis
Addidit ingentes animos. huc ergò coactis
Sedibus, & multo translatis agmine turmis
Fatalem Caueam sibi tetra Licentia cudit,
Vinditias Latura suas; quod iusta Poloni
Sceptra throni spernens, scelus irrepabilepacta,
Serua Machometico submisit colla Tyranno.
Turca ferox huc robur agit, quo Longa trahebat
Castrorum portenta, Getas, & Pontica monstra
Huc cogens; nec opus tanto molimine dignum
Credit in abiectis, concessurosq; potenti
Imperio, cuius poscunt suffragia sperat.
Sors aliò cecidit. stat contra Cosacus, & se
Impauidus statuit gladijs, valloq; tueri,
Naturâq; loci. iam Thracia sæpè repulsa est
Vis ingens, fususq; Getes; iam machina belli
Torta diu frustra est. Thrax implacabilis ardet;
Odrysij caput imperij, noua castra, nouamq;

Vrget in arma manum; vapidus nunc pace dolosâ
Pugnaces animos, & Martia pectora tentat;
Mole cauernosas pyriâ nunc vellere terras
Aggreditur, totoq; agitat dispendia Marte
Vltima, fatalesq; rogos. tonitru cadit eheu
Subtus terrifico laceri pars maxima valli;
Corruit & grandi terrarum pondere mota,
Fulmineum dum mugit opus, miserabilis eheu
Cosacici sedes populi! patet vndiq; sæuis
Gentibus accessus; nubes se densa Getarum
Infundit miseris, & Thracia feruet Erinnys.
Fit cædes immensa, truces grassantur, & vrgent
Excidium gladij. pereunt discrimine nullo
Heu infelices animæ! cruor omnia inundat,
Flamma voraxq; rapit, Getico quod non cadit ense;
Reliquias auidi prædarum hausêre Geloni,
Plenaq; captiuis gemuerunt vincula Ponti.
Vindicè sic cecidêre Deo, qui sanguinis olim
Seruili bello tantùm exhausêre Poloni,
Excussoq; iugo, tantos iuêre subictus,
Æternum facti bustum, cinis, atq; fauilla,
Horror, & Humani vix lamentabile nomen.
Tantâ clade satur, Thrax retrò fertur ad Istrum,
Æmoniasq; acies, transdacica littora tollens,
Irrequieta minax vicini fulmina belli,
Spirat inexhaustis Asiæ, Pontiq; Cauernis.
Sed Tuus heu altùm indoluit, fortißime Regum
Roxolanis Mauors populis! tot robora, totq;
Bellaces animas, gladio sine vindice tolli,
Barbaricas sæuire manus, tantumq; cruoris
Fundere Christiadûm, tantas subuertere moles
Non pateris. cæcoq; licet ruat impete plebes
Excidio lymphata suo; Tu corde paterno
Victuros cecidisse doles. mox ardua rerum,
Heroasq; animo curas Proponis, & vrges,
Roxiacæ dùm castra moues in viscera terræ.

Obsta-

Obstabat contrà rerum natura, grauisq;
Autumni vergentis onus conamime cœptum
Torquebat Martem; rigor vndiq; fortibus ausis
Incubat, & glacialis hyems. Tibi Regius ardor,
Flammaq; propositi calet immortalis honesti,
Roxolani vindexq; soli, patriaq; salutis
Zelus, inexstinctis facibus dum pectus advrget;
Præualuit; niuei cessêre calentibus armis,
Hostiles pariter victi, brumaq; rigores.
Alpibus haud poterat, per tot prærupta niuosis
Punicus arceri gladius, dum fata propinquant
Italiæ, rerumq; domat, cum Martius Afer
Rupibus exesis naturam; saxea primùm
Culmina Pyrenes, mox formidanda potentis
Imperij, Lybico vincens fastigia Marte.
Nempe triumphatas acies, casusq; Latinos,
Sanguine Cannensi mersos cum Consule fasces,
Tantaq; Romanæ dispendia non priùs vrbis
Bellator Lybicus fecit; quam rupibus altis
Naturæ fregisset opus. Mauortius in Te
Nec tantùm validis potuisset spiritus armis;
Ni tempus contra, cælumq;, elementaq; contrà
Iuisset victor. Bario sic laurea capto
Prima Tibi viruit medijs algoribus; à qua
Successêre dein tot fortia gesta, tot actus
Pectoris inuicti Regum molimine digni;
Non tenuêre animos, Turcæ vexilla secuti,
Qui Priùm tenuêre Scythæ. cessêre subacti
Marte Tuo, vicitq; operis constantia; donec
In Tua famosi res nominis ire trophæa,
Victricis frenumq; manus sentire coacta est.
Momentum inde tuis creuit successibus ingens,
Inclinans animos, & Roxica pectora frangens.
Vicinæ tremuêre vrbes, latèq; Gradiui
Peruasit fortuna tui. Mohilowia supplex,
Magnanimi, fortisq; Viri commissa Rzeuusci

Ausibus

Auſibus Herculeis, mox oppida dedita Sceptris
Adiecit numeroſa tuis. iuga Regia ſentit
Kalnicum, portaſq; Tibi Bractawia pandens,
Subdit adorato ſolio, ſedemq; caputq;
Armorum; paſſimq; arces, caſtellaq;, paſſim,
Quæue Tyras, vel quæ famoſa Boryſthenis vnda
Alluit, imperij capiunt mandata Poloni.
Nutat & ipſe mali Czehryno maximus author,
Turcarum fomes, belli fax impia Doroß,
Affundi toties calamo ſpondente paratus
Regali trabeæ, maieſtatiſq; benignos
Implorans vultus; pacis ſub imagine condit
Parricidale ſcelus, Turcas, Scythiamq; fatigans
In noua bella ciet. iam Nuradinus in armis,
Iam Geticæ volitant acies. Tu Principe dextrâ
Arma Scythis toties, & magnos obicis auſus;
Nec ſinis Auguſtæ conuelli robora mentis,
Quidquid agat Scythicuſue furor, vel mobile ſerui
Ingenium capitis. tumidos Pauołocia ſenſus,
Obluctata diu Radiuilli Principis armis
Induit; vt caſu rueret grauiore, ſubictus
Ipſa ſuos veniens, nimium ceruice rebelli.
Moſchica quod nequijt ſubnixa potentia, tanto
Milite, totq; operum ſudatis molibus; auſus
Sarmatici perfecit opus, Mauortius ardor,
Auſpitijſq; Tuis felix Radiuilla volucris.
Concidit heu! poſtquam gladij irrupêre feroces,
Coſacus, atq; Scythes, miſtumq; ignobile vulgus;
Tanta breui moles heu vaſtum facta cadauer,
Fraternoq; Doroß, meritas hîc ſanguine pœnas
Triſtè luit; dùm plena tuis victoria rebus,
Palmaq; Victori verè Tibi Martia ceſſit.
Infremuit cordis rabies Czehryna doloſi,
Pontica veſano circumuolat oſtia raptu,
Principis arma Scythæ, Byzantinoſq; timores
Accelerans. vrgebat enim non vna ſceleſtum

Flammea

Flammea vis odij, dolor, indignatio, frausq́;
Ira minax, iustusq́; timor; spes tota Gelonum
In gladijs. huc ergò tuæ pars maxima curæ
Incubuit, glacialis hyems dum soluitur, & se
Vere nouo pandit, bellacis gloria campi;
Ne Regale decus, labor immortalis, & inter
Tanta opus exactum discrimina defluat, orbe
Expectante rei seriem, feliciter acto
Fine coronandam. nam Regia mens tibi suasit
Cosacicis rebus perfectis, fœdera Moschus
Si fors iunxißet, socio cum Marte propinquis
Sedibus inferri; qua Dacia iungitur Istro,
Ponteq́; Turcarum valido, circumq́; potiri
Gentibus obiectis. quò res angustior inde
Instaret clausis Cameneco, Thraxq́; morari
Interclusa diu vestigia bellica poßet.
Altos propositi sensus, sed plurima retrò
Motibus egerunt varijs; vis ardua belli
Hostibus in medijs exhausto milite, per tot
Naturæ, rerumq́; vices, confecerat ipsa
Robora militiæ; dum Prußas prima phalangas
Res grauis afflixit; mox & lectißima Regni
Agmina defluxêre mali inclementia fortes
Exagitans animas, non vno sæuijt ictu,
Cum premerent clades populos tot bella secutæ.
Mens augusta tamen supereminet omnibus, vno
Principe sustentans, quidquid vel Marte labascit,
Vel duris preßum titubat, vel sufficit ægrè;
Contra tot casus, contra seruilia latè
Arma, dolosq́; animi, formidatosq́; Gelonos,
Fisa Deo, nec mota loco, nec territa Marte
Principis inuicti constantia restitit, altùm
Suspirans; tantis quod res suscepta periclis,
Ingentes animos subsistere cogeret; vt se
Sarmata bellator collectis viribus, acer
In noua respirans armaret prælia rursum.

Flucti-

Fluctibus Oceani sed quantula portio motis,
Æolias hyemes inter, si forte tridentem
Neptuni Palinure velis, Boreamq; quiêsse.
Magna Thetis Glaucum, Tritonaq;, Cimothoenq;
Ludere, Delphinasq; vndis, Phorcosq; quieti
Haud longùm patitur. subit irrequieta procellis
Lucta, minas pelago, coniuratamq; reducens
Ventorum rabiem; toto ruit impete cælum
Nubibus, iratoq; cadit spes naufraga Ponto.
Bosphorus haud aliter Byzantia nubila differt,
Ærisonæ clangore tubæ; mora nulla cruentis
Fluctibus à Ponto. concedit in arma Mæotis
Principis Odrysij iussu; densissima rursum
Signa Getas cogunt. iam se campestribus atrox
Barbaries effusa locis, in Roxica latè
Arua dedit, vernoq; ciet noua turbine monstra.
Africa Scipiadas, posito discingere bello,
Cæsareasq; acies renuit cum Marte Brytanno,
Occiduo veniens bellator ab orbe morari:
Post Erymantheos violentior hydra labores,
Alcidæ noua monstra parit; Busiride Nylus,
Nubigenis q; rubet Pholoe. immortalia nunquam
Mentibus augustis operum certamina desunt;
Parturiente malo gladijs victoribus ansam,
Et meriti palmare decus. nec maxima virtus
Rex, in Te siluit modicæ concessa quieti.
Sarmaticis rursum gladijs obiecta Mæotis,
Materiem bello laturis viribus, in Te
Barbara signa mouet. sed pax prætenditur armis;
Pax optata diu populis, annisq; tot exul,
Dulce quidem miseris, sed non durabile nomen.
Prima Scythas hæc cura subit, componere bella
Fœderibus, tantumq; aliquando sistere Martem.
Rem Geticus Princeps exorsus, vtrinq; Polonas
Inter, & Odrysias gentes, optabile pacis
Vrget opus. Tibi Diua salus, potiorq; triumphis

Pax,

Pax, ſed honeſta placet. non reijcit alma quietis
Nomina, ſed ne ſint patriæ quæſita ruinis.
Arma igitur ſiluêre, librat dum fœdus amicum,
Anxia per populos famæ expectatio tantæ.
Iamq; per Heroas, quibus hæc commiſſa poteſtas,
Ardua res agitur. tumidus ſed Turca ferocit,
Fortibus indignamq; viris decernere pacem,
Threicio faſtu ſtatuit, procul indole noſtrâ,
Maieſtate Tuâ procul, & virtute Polonâ;
Quæ gladios in bella acuit, ne dedecus Orbis
Suſtineat; potiusq; ſequi per vulnera tecum
Eligit impauidam mortem, quam viuere probro.
Imbraimum quamuis centenis millibus armet
Thracius, & Scythicus miles; Tu viribus impar,
Rex animo ſummus, vinci formidine nulla
Te ſinis; indignæ renuens opprobria pacis,
Dum tuus ingentes animos laturus in hoſtem,
Frælia depoſcens, numerum non computat enſis.
Hîc mihi Pelleus tecum bellator Achilles,
Aut Troadum pugnax tonitru Salaminius Heros,
Tarpeiasq; arces, Populi ſuprema Quirini
Fata triumphatis potuit qui ſiſtere Gallis,
Ad decus immortale, pari virtute ferendum
Haud veniat. Diuina Tui conſtantia Scuti,
Non aliâs Patriæ, ſtetit impenetrabilis vmbo,
Æraq; mille ferens, peltataq; robora mille.
Acer in arma ruit, furijs immanibus hoſtis,
Corripiens ferro, quidquid vicinius obſtat;
Terror, & excidium, momentò funditur ingens,
Verſaturq; animo, facies triſtiſſima rerum:
Regia pro cunctis Tu victima, flamine Martis
Plenus in exhauſto, datus immortalibus actis,
Orbis in exemplum Princeps, ad mille pericla
Fers caput auguſtum. ſtupet Vrbs inuicta Leonis
Principe digna tegi, quod murus Ahenæus illam,
Fortibus in ſummo diſcrimine cinxerit auſis;

 Dum

Dùm nutant animi, pectus dùm palpitat omne,
Vita, salus, & cor Patriæ, Rex omnia factus.
Quid modicæ vires, tantillum robur in armis?
Heroumq; manus, quæ tantis faucibus offa?
Hanc tamen opponis Regum fortissime tecum,
Glinianeis veniens, quà frons hostilis ab aruis,
Impete prævalido sæuissima prælia spondet.
Iam Tibi Zbarazij clades, iam tanta cadentûm,
Fata dolēt, laceratq; animū immedicabile vulnus;
Vindicijs ardes totus, succurrere totus
Flammiger heū quoties optas! si sanguine fuso
Threicias latè fas sit restinguere flammas;
Purpureos latices Regalibus ire fluentis
O quàm totus aues! sed continet Hectora castris
Vis immensa mali, longeq; hostilibus impar
Nubibus armisonis miles. nam sedibus illum
Partiri varijs placuit, quò viribus hostem
Distraheret, Scythicisq; moras opponeret armis.
Principis hoc egit, virtus Heroa Demetrî,
Prisca Coributhei Martis, quæ fulmina spirans,
Dum munita locis Brodensibus arma tuetur,
Sæpiùs in Geticas iuit metuenda Phalanges,
In prædam effusos prohibens hâc parte Gelonos.
Inde truces animas, rapidis torrentibus actas,
Excepit, pugnax animo Iablonouius Heros
Marte Palatino; cui submisêre Getarum
Myrmidones immane caput; confessaq; fortem
Barbaries reiecta Virum, concessit vt illi
Cederet insignis defenso palma Złoczowo.
Nec minor armorum Bellona Potocia laude,
Contra Threijcias acies, virtutis auitæ
Marmoreis exempla dedit sculpenda columnis,
Fortis in excubijs, hostili prima sub ictu.
At Tibi curarum belli suprema potestas,
Exemplumq; sine exemplo constantis, & alti
Pectoris, in summo rerum feruore cadentûm;

Robore

Robore Spartano, positis non cedere castris,
Extremo niti conatu; sanguine, vitâ
Rem patriæ, Diuûmq́; Aras, & viscera Regni,
Christiadûmq́; Orbem summâ virtute tueri,
Rex ingens animi statuis. sed quantula tecum
Portio militiæ, quantis obiecta periclîs,
Mæoticos enses, & Thracia fulmina sistit!
Illa dies, augusta dies, quàm conscia tecum
Orbi gesta canet, cordato Princepe digna!
Cùm super infusas acies, roburq́; Gelonum
Fxciperes animis maribus, spectante Leonis
Vrbe. ferox ibat Nuradinusq́; Getarum,
Adzigereyq́; manu delectâ concitus in Te,
Camporum vicina tenens. Tu plenus in arcto
Viribus immensis animi, cum Marte stupendo,
In Scythicas nubes, quò sæuam turbo procellam
Acriùs vrgebat, lecto cum milite castris
Te procul effundens, inferri sæpiùs ardes.
Sed Geta prævalidus quamuis, & robora belli
Tanta ferens, augusta Tuæ certamina dextræ
Horruit ad primas acies; mox cedere campo,
Prospectare fugam, confundere signa, metuq́;
Dilabi tandem; postquàm Tu seria toto
Prælia Marte petis. pro dedecus! impete cæco
Tota fugax acies, pulsis confusa Gelonis
Occumbente die rapitur, luctatur, & hæret
Limosis conclusa vadis; sed noctis opaco
Impuras animas debet, quas Lechicus ensis
Hausisset, campisq́; cruor signasset apertis;
Purpureæ solium trabeæ, quàm mille coronis,
Rex toties victor, meruisses antè Coronam.
Imbraimi fastum res hæc, & signa retorsit;
Haud Tibi par animo, Geticæ post tanta videri
Probra fugæ potuit. nec Tu Litthuanicus vt se
Mars Tibi coniunxit, tua longiùs arma moratus,
Prælia anhelantem differs, stimulisq́; tot actum

Herculeis animum. castris Te proripit ingens
Ardor, & Imbraimi quò se trux machina vertit,
Tu celer insequeris. iam Treboulana fatigat
Mænia Thrax aries. modico se milite contrà
Parua manus, sed mille animos complexa tuetur.
Flammeus obsessor circumstat totus in armis
Excidium accelerans, operas feruentiùs vrget;
Dum Tua Bucżacio veniunt à limite castra.
Subtus agit moles pyrias, & cardine toto
Terrarum prærupta mouens, conamine tanto
Ingentes animas non commouet. omnia desint
Obsessis, elementa viris, alimentaq; vitæ
Tollantur; Lympha pariter cum sanguine guttas
Exæquent; tantillæ animæ tot millibus obstent:
Certa salus, & spes, Tua Rex fortissime virtus,
Odrysias iam ponè acies, totoq; propinquans
Armorum sonitu. quo iam perculsa Getarum
Ringitur, & nutat rabies. sæuissima Byston
Fulmina in obsessos, densatâ grandine torquet;
Irrita sed toties Trhacum cecidêre ruinis;
Milite cum Trebovla suo fidentiùs hostem
Sustinet, aduentusq; tui spiracula sentit;
Iam victrix animo, mediâq; voragine fati
Iam secura sui; postquam fulgentia latè
Signa Getes, Martemq; Tuum succedêre campis,
Sæpè cadens didicit. mox turbida castra pudendis
Agminibus, raptasq; mouet formidine turpi,
Strusouum versùs turmas, & probra relicti
Æternùm memoranda operis. pulcherrima cedit
Palma Tuis, inuictus Ouat Mars ille pusillus;
Qui potuit tantas Orientis frangere vires,
Et superesse Tuis Princeps Auguste trophæis,
Nomina digna cedris, & Regia munera dignus
Ferre, triumphalesq; animas inscribere fastis.
O si mens eadem, virtusq; immota fuisset,
Innocuæ vobis animæ quoq;, nunc cinis eheu!

Barbari-

Barbaricis heu fisa Dolis ! heu prodiga vitæ
Pectora ! non tantâ cecidissent clade Podhayce.
Fidimus heu infelices, imusq; tyranni
Sub iuga Threÿcÿ ! sed quæ fidutia sæuis
Proh dolor in manibus ! cædes, cruor, vltima restant
Busta fauillarum, tantò fidentibus hosti.
Pugnaces contra sequitur, carasq; Gradiuo
Aut laurus victrix, aut mors pulcherrima mentes.
Victima sic cecidit Superis gratissima, quisquis
Sic cecidit. felixq; cruor per vulnera fusus,
Vltima qui potuit Patriæ restinguere fata.
Hæc diuina sitis, Tua Rex præcordia coxit;
Vt fieres augusta Deo, Patriæq; salutis
Hostia. sed Mauors vt Thracius, hydraq; Ponti,
Subducens animos, & Dacica Littora spectans,
Cessit in aduersam traiecto flumine ripam;
Eripuit trepidas acies Regalibus ausis,
Plenaq; non vno rapuit vestigia probro;
Dum Tuus insequitur, castrisq; fugacibus instat,
Transq; Tyram miles Byzantia terga, minasq;
Imbraimi tristes, & dedecus vrget ad Istrum,
Indignante animis Turcâ; quod Ponte relicto,
Cesserit extremùm tantis ingloriùs armis.
Hæc Tibi pro meritis Hecatombæ Regia surgit
Argiuis maior titulis, certamina pro Te
Sacra ferens orbi, Regali condita Scuto;
Inquibus augustum, quod sæcula longa fatiget
Pondus inexhaustum Laudis, censumq; perennem
Rex bellator habes. poscit Te purpura tandem,
Sanguinis Odrysÿ non vno muricè tincta,
Et thronus, ille sacer, quem tot meruêre triumphi.
Ad fasces iturus honos, sudoribus in Te
Mille priùs maduit; circumfulsêre seuerum
Arma sagum; trabeamq; priùs fecere cruento
Puluere noscendam; quàm Maiestatis in alto
Imperÿ fulgetra daret. per tela, per enses,

Per tot contemptas mortes, per Laua cadentis
Fata spei, rursumq; animos post tristia sumptos,
Per Laurus Geticas, Chocimi per grande theatrum,
Calcatosq; Asiæ fastus, Rex totus Achilles,
Martis amor totus, deuotaq; victima bello
Iuisti ad Solium. quò Te iam fulgur anhelum
Expectat. festiq; ignes, palmaq; virentes;
Quò Te fusa diu populorum vota sequuntur.
Tu Regem, indutus, Patriæ quoq; viscera Patris,
Fac Tuus extendat flagrantibus vndiq; curis
Zelus in immensum, quòd fecerat ante Coronam;
Regaliq; Tuo, dum protegis omnia Scuto,
Diuinum munimen habe; quo Pontus, & Ister,
Bosphorus, & Tanais, quò Caspia Littora norint,
Quàm sit Cælitibus victrix Tua Purpura Curæ.
Sanguinis augusti per Te Longißimus Ordo
Surgat, & Imperio series victura Polono,
Vt Regi Liceat Reges meruisse Nepotes.
Dumq; Coronatâ Victor regnabis in auge;
Ad Regale decus, loricâ, trabeâq; Coruscum,
Palleat Odrysius fulgor. Tu Vince, Triumpha,
AVGVSTVS, *Felix, hecatombe maxima Regum.*